To the Library of the Smithsonian Insti
from the auth

T. THORELL

ARACNIDI DI NIAS
E DI SUMATRA

RACCOLTI NEL 1886

DAL SIG. E. MODIGLIANI



GENOVA
TIPOGRAFIA DEL' R. ISTITUTO SORDO-MUTI
1890

T. THORELL

ARACNIDI DI NIAS

E DI SUMATRA

RACCOLTI NEL 1886

DAL SIG. E. MODIGLIANI



GENOVA
TIPOGRAFIA DEL R. ISTITUTO SORDO-MUTI
1890

(Estratto dagli Annali del Museo Civico di Storia Naturale di Genova
Serie 2.ª, Vol. X (XXX), 4 Settembre 1890).

Fra le collezioni zoologiche radunate dal Cav. E. Modigliani nel suo viaggio a Nias durante i mesi da Marzo a Settembre 1886 (1), e donate da lui al Museo Civico di Storia Naturale di Genova, si trova una bella serie di Aracnidi, che il Marchese Doria, Direttore di questo Museo, ha voluto permettermi di studiare e dei quali farò seguire l'enumerazione.

Mentre Sumatra, riguardo agli Aracnidi, è la parte meglio conosciuta di tutto l'Arcipelago Malese, finora non si aveva alcuna nozione intorno alla fauna aracnologica della vasta catena d'isole che si stende lungo la costa occidentale di Sumatra, eccettuata Bodjo (una delle isole Batu), della quale il signor E. Simon (2) ci ha fatto conoscere otto specie di ragni. Pertanto l'enumerazione di un numero abbastanza ragguardevole di Aracnidi di Nias, la più grande di quelle isole, insieme a quella di non poche specie Sumatrane anch'esse raccolte dal sig. Modigliani, non può essere priva di qualche interesse.

La collezione presente contiene 71 specie diverse, più un *Amblyomma* inc. sp., di Sumatra (Sibóga) e pochi ragni non

(1) Vedasi il dotto ed interessantissimo lavoro del Modigliani: Un viaggio a Nias (Milano, F.lli Treves, 1889).

(2) Arachnides recueillis par M. Weyers, à Sumatra (1er envoi), *in* Comptes-rendus de la Soc. Ent. de Belgique, XXIX (1885), p. XXX.

adulti, che non si potevano determinare con sicurezza. La più gran parte (46) di queste 71 specie furono catturate a Nias, presso i villaggi Gunúng Sitoli, Lelembóli, Fadóro, Hili Zabóbo e Báwo Lowaláni; 7 di esse il Modigliani le trovò pure in Sumatra, insieme ad altre 25. Le specie Sumatrane sono tutte raccolte sulla costa occidentale dell'isola, qualcheduna a Padang, le altre a Siboga (dirimpetto a Nias).

Le 46 specie (42 ragni, 2 scorpioni e 2 opilioni) trovate a Nias, sono le seguenti:

Araneae.

Pholcus elongatus, Vins.
Theridium tepidariorum, C. L. Koch.
Uloborus trifasciatus, n.
Eucta Javana, Thor.
Callinethis superba, n.
Argyroepeira Emertonii, n.
Larinia diluta, Thor.
Nephilengys Malabarensis (Walck.).
Nephila maculata (Fabr.).
Argiope pulchella, Thor.
» versicolor (Dol.).
» aemula (Walck.)
Herennia multipuncta (Dol.).
Euetria Moluccensis (Dol.).
Epeira de Haanii, Dol.
» caput lupi, Dol.
» unicolor, Dol.
» Théisii, Walck.
» anseripes, Walck.
Cyrtarachne coccinella, n.
Gasteracantha brevispina (Dol.).
Plectana arcuata (Fabr.).
Acanthoctenus variatus, n.
Lycosa pusiola, Thor.
Oxyopes Birmanicus, Thor.
» pupulus, n.
Spariolenus taeniatus, n.
Heteropoda venatoria (Linn.).
» Modiglianii, n.
Palystes melanichnys, n.
Sarotes acolastus, n.
Daradius callidus, n.
Phrynarachne decipiens (Forbes).
Synemosyna praelonga, n.
Holoplatys planissima (L. Koch), var. occidentalis, n.
Bavia sex-punctata (Dol.).
Thiania jucunda, n.
Linus subvexus, n.
Epocilla praetextata, Thor.
Plexippus Paykullii (Aud. in Sav.).
Hyllus Diardii (Walck.).
Hasarius ensifer (Thor.).

Scorpiones.

Palamnaeus liophysa, Thor.
Hormurus Australasiae (Fabr.).

Opiliones.

Gagrella Niasensis, n.
Babrius murcidus, n.

Di queste specie, 16 sembrano nuove per la scienza; delle altre, la più gran parte (almeno 20) abitano pure Sumatra: le rimanenti specie sono state osservate in altre parti dell'Asia meridionale, particolarmente della Malesia. Alcune di esse hanno però una distribuzione geografica molto più grande.

Le specie catturate dal sig. Modigliani in Sumatra sono le 32 seguenti, 7 delle quali le ho descritte come nuove:

Araneae.

Hersilia Sumatrana, n.
Pholcus elongatus, Vins.
Theridium rufipes, Luc.
Argyroepeira 4-fasciata, n.
» nigro-trivittata (Dol.).
» Celebesiana (Walck.).
Larinia diluta, Thor.
Nephilengys Malabarensis (Walck.).
Argiope versicolor (Dol.).
» aemula (Walck.).
Epeira pullata, Thor.
Poltys pygmaeus, n.
Lycosa pusiola, Thor.
Oxyopes Javanus, Thor.
» auratus, n.
Camaricus fornicatus, Thor.
Runcinia Kinbergii, Thor.
Harmochirus nervosus, Thor.
» Malaccensis, Sim.
Stichius albo-maculatus, n.
Bianor balius, Thor.
Tapinattus melanognathus (Luc.).
Maevia alternans (C. L. Koch).
Cyrba Algerina (Luc.).
Telamonia Peckhamii, Thor.
Hasarius Elisabethae, n.
» sannio (Thor.).
» virens, Thor.

Scorpiones.

Isometrus maculatus (De Geer).
Hormurus Australasiae (Fabr.).

Opiliones.

Nothippus limbatus, n.
Stylocellus Sumatranus, Westw.

Oltre le 23 specie nuove della collezione del sig. Modigliani, altre 7 specie sono, nel presente lavoretto, indicate per la prima volta come abitanti l' Indo-Malesia.

Ecco i nomi di queste ultime, colla citazione dei luoghi ove erano state prima trovate:

Larinia diluta, Thor. (Birmania).
Argiope pulchella, Thor. (Birmania; Siam).
Epeira caput lupi, Dol. (Austro-Malesia).
» unicolor, Dol. (Amboina).
Camaricus fornicatus, Thor. (Birmania).
Cyrba Algerina (Luc.) (Asia merid. e centrale; Africa del Nord; Europa merid.).
Telamonia Peckhamii, Thor. (Isole Nicobare).

Sori, 20 Giugno 1890.

Ordo ARANEAE.

Pars DIPNEUMONES.

Tribus TUBITELARIAE.

Fam. CHALINUROIDAE (1).

Gen. Hersilia (Sav.), 1827.

1. **H. Sumatrana**, n., *cephalothorace in fundo sub-fusco-testaceo, albicanti- et paullo ferrugineo-pubescenti, in lateribus linea duplici nigra cincto, area oculorum ad partem nigra; facie praerupte proclivi linea obliqua fusca utrinque notata, clypeo proclivi albissimo, altitudine longitudinem areae oculorum mediorum non parum superanti; oculis mediis anticis oculis posticis sub-aequalibus paullo minoribus, oculis lateralibus anticis duplo longius a mediis anticis quam a lateralibus posticis remotis, mediis posticis spatio paullo minore inter se quam a lateralibus posticis separatis; palpis et pedibus pallide fusco-testaceis, nigricanti-annulatis, articulo* 1.° *tarsorum anteriorum art.* 2.° *plus duplo longiore; abdominis dorso pallide fusco- vel rufescenti-cinereo, fascia inaequali sub-undulata nigricanti cincto, fascia media longitudinali sub-hastata nigricanti antice notato et lineis transversis nigricantibus quasi in areas utrinque quattuor, foveola nigricanti in medio notatas, diviso; ventre sub-fusco-testaceo vel -albicanti.* — ♀ ad. *Long. circa* 11 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* forma in hoc genere ordinaria, paullulo longior quam latior, patellam + tibiam + dimidium metatarsi 3.ii paris longitudine aequans, dorso partis thoracicae a latere viso sensim paullo assurgenti et, excepto postice, recto, dorso partis cephalicae paene usque ad oculos medios posticos sensim paullo fortius assurgenti et leviter convexo; facies altissima, non directa, sed etiam superius praerupte proclivis, sub

(1) Hoc nomen, a Cel. Fickert propositum, « Hersiliodis » anteferendum est, quum Hersilioides nomen sit *generis* (*Hersilioides*, Gourret, 1887).

oculis transversim impressa, clypeo etiam minus praerupto, prominenti, altitudine longitudinem areae oculorum mediorum non parum superanti, transversim convexo. Area oculorum posticorum transversim plana est, laevis, non tuberculata. *Oculi* medii antici mediis posticis evidenter paullo minores sunt, cum iis aream quadratam formantes; oculi laterales postici medios posticos magnitudine aequant (iis saltem non minores), ab iis spatio oculi diametro paene dimidio majore (et paullo majore quoque quam est spatium, quo distant medii postici inter se) remoti. Oculi medii antici spatio diametro sua paullo majore separati; oculi medii postici inter se et a mediis anticis spatiis disjuncti, quae eorum diametro parum sunt majora. Oculi laterales antici spatio duplo majore ab oculis mediis anticis quam a lateralibus posticis sejuncti sunt, ab his spatio remoti, quod diametrum oculi lateralis postici paene aequat.

Mandibulae directae, parallelae, a basi ad apicem sensim paullo angustatae, paene duplo longiores quam latiores basi, in dorso rectae, laeves, pilosae; sulcus unguicularis antice dentibus 3 fortibus armatus est. Unguis mediocris, gracilis. *Palporum* pars patellaris paullo plus dimidio longior est quam latior, pars tibialis paullo plus duplo longior quam latior; pars tarsalis partem tibialem longitudine aequat, eà paullo angustior, cylindrata. Unguiculus palporum 6 dentibus sat longis pectinatus est. *Pedes* 2.^{i} paris pedes 1.^{i} paris longitudine saltem aequant, cephalothorace saltem 7.plo longiores; pedes 3.^{ii} paris non $^{1}/_{3}$ pedum anteriorum longitudine aequant. Art. 1.^{s} tarsorum 1.^{i}, 2.^{i} et 4.^{i} parium art. 2.° plus duplo, non triplo, longior est. Unguiculi tarsorum superiores plerique circa 5 dentibus pectinati sunt; unguiculus inferior dente singulo forti et longo est munitus. Aculeis brevibus sat gracilibus non multo crebris sparsi sunt pedes. *Abdomen* forma ordinaria est, deplanatum, foveolis 8 in series duas longitudinales ordinatis supra notatum. *Vulva* ex area mediocri cornea sub-transversa, anteriora versus sensim paullo angustata constat, cujus margo posticus latus in tres lobos brevissimos rotundatos est divisus; secundum medium hujus areae costa humilis extensa est, et utrinque apud eam

tubercula duo humillima conspiciuntur, quorum anterius majus et obscurius est: haec tubercula quattuor in rectangulum paullo longius quam latius sunt disposita. *Mamillae* superiores cephalothorace paullo plus duplo longiores sunt, femora anteriora, et tibiam cum patella 4.^{i} paris, longitudine aequantes, art. 1.º cylindrato et paullo plus duplo longiore quam latiore (a latere inferiore viso); art. 2.^{s} art. 1.º saltem 5.plo longior est. Mamillae inferiores circa duplo longiores quam latiores sunt, a basi ad apicem sensim paullo angustatae, art. 1.º superiorum multo, paene duplo, breviores et angustiores.

Color. — *Cephalothorax* in fundo fusco-testaceus est, fascia angusta marginali nigra albo-geminata in lateribus cinctus; area oculorum, excepto in medio postice, ad maximam partem nigra est, et fovea ordinaria centralis sulcique reliqui radiantes infuscati; pube brevi albicanti, intermixta sub-ferruginea, ad maximam partem vestitus est cephalothorax, facie tota sub oculis seriei 2.^{ae} pube densa albissima tecta, et vitta brevi transversa fusca ab oculo seriei 1.^{ae} foras et paullo deorsum ducta utrinque notata. *Sternum, maxillae* et *labium* pallide fusco-testacea. *Mandibulae* ejusdem coloris, fascia longitudinali latissima nigra secundum medium dorsi notatae, nigro- et pallide fusco-pilosae. *Palpi* et *pedes* pallide fusco-testacei, nigro-annulati, tenuiter albo- et, ad partem, nigro-pubescentes, nigro- et pallido-aculeati et -pilosi; palporum pars tarsalis apice nigra est, pars tibialis apice et basi, supra, macula nigra notata. Femora et tibiae tres annulos latos nigricantes plus minus distinctos ostendunt, subter in femoribus anterioribus in fasciam longitudinalem nigram plus minus abruptam confluentes; metatarsi basi anguste, in medio latissime nigricantes sunt, metatarsi posteriores praeterea, ut tarsi omnes, apice nigri. *Abdominis* dorsum in fundo pallide fuscum est, pube tenui albicanti vestitum et lineis nigris nigricanti-pubescentibus utrinque quasi in areas quattuor pallido-marginatas divisum, quae areae sua quaeque foveola profunda nigricanti in medio munitae sunt: in lateribus enim fascia inaequali sub-undulata nigricanti cinctum est dorsum, et in medio antice lineas duas longitudinales nigricantes, fasciam angustam

sub-hastatam ad medium dorsi pertinentem limitantes ostendit: a medio et ab apice postico hujus fasciae, utrinque, linea transversa nigra pallido-marginata ad latera est ducta; etiam magis posterius linea ejusmodi tertia utrinque conspicitur. Latera abdominis et venter pallide fusco-testacea et albicanti-pubescentia sunt; vulva obscurior. *Mamillae* quoque pallide fusco-testaceae, inferiores summo apice nigricantes; art. 1.^{s} superiorum apice supra nigricans est, art. 2.^{s} versus basin annulum nigricantem latum et versus medium alium latissimum ostendit.

Lg. corp. 11; lg. cephaloth. paene 5, lat. ej. 4 $^1/_2$, lat. front. circa 1 $^1/_2$; lg. abd. 6 $^1/_2$, lat. ej. 5 $^2/_3$ millim. Ped. I paene 35, II 35, III 10 $^3/_4$, IV 31 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. III 3 $^1/_2$, pat. + tib. IV 9, metat. + tars. IV 13 (tars. 4 $^1/_2$, art. ej. 1.^{s} circa 1 $^1/_5$) millim. Mam. sup. 10 $^1/_2$, art. ear. 1.^{s} paene 2; mam. inf. 1 millim. longae.

Feminam singulam pulchrae hujus speciei vidi, a Modigliani in Sumatra, ad Sibogam, captam.

A formis adhuc cognitis gen. *Hersiliae* diversa mihi visa est haec species, nescio an etiam ab *H. caudata,* Sav. [1], differens, quam « roux », dicit Savigny, « *avec le thorax marqué de deux bandes dorsales brunes et bordé de tâches de la même couleur* ». Secundum Savigny *H. caudata* art. 2.^{m} tarsorum (anteriorum et 4.^{i} paris) aeque longum atque art. 1.^{m} haberet (?), *oculos medios anticos posticis majores,* unguiculum palporum simplicem, unguiculos tarsorum superiores bidentatos, unguiculum inferiorem simplicem (?), cet. — *Hersiliae Vinsonii,* Luc. [2], ex Madagascar, praesertim affinis videtur *H. Sumatrana* nostra.

(1) Descr. de l'Égypte. Descr. sommaire des Arachn. de l'Égypte et de la Syrie (in folio), p. 18 (Ed. 2, XXII, p. 317), Pl. I, fig. 8.

(2) Quelques remarques sur les articles additionels observés dans les palpes des Actinopus, les pattes des Hersilia, et descr. d'une nouv. esp. appartenant à cette dernière coupe générique, *in* Revue et Mag. de Zoologie, 1869, p. 8, fig. 1-5.

Tribus **RETITELARIAE.**

Fam. PHOLCOIDAE.

Gen. **Pholcus**, Walck., 1805.

2. **Ph. elongatus**, Vins.

Syn.: 1863. *Pholcus elongatus*, Vins., Aran. d. îles de la Réun., Maurice et Madag., p. 135, Pl. III, fig. 5.

Hujus speciei, in Asia meridionali, Australia et Africa vitam degentis et multis locis vulgaris, Cel. Modigliani marem adultum in ins. Nias, ad Hili Zabobo, invenit, feminam juniorem vero in Sumatra, ad Sibogam.

Fam. THERIDIOIDAE.

Gen. **Theridium** (Walck.), 1805.

3. **Th. tepidariorum**, C. L. Koch.

Syn.: 1841. *Theridium tepidariorum*, C. L. Koch, Die Arachn., VIII, Taf. CCLXXIV, fig. 647 et 648.

Feminae duae hujus araneae, quae fere cosmopolita est et multis diversissimisque locis omnium frequentissima, in ins. Nias ad Hili Zabobo captae sunt.

4. **Th. rufipes**, Luc.

Syn.: 1845. *Theridium rufipes*, Luc., Explor. de l'Algérie, Arachn., p. 263, Pl. XVI, fig. 5-5*d*.

In Sumatra (Siboga) feminam *Th. rufipedis*, Luc., invenit Modigliani. Haec species multis locis Asiae, Australiae et Africae vulgaris videtur, etiam in Europa meridionali (Sicilia) capta.

Tribus **ORBITELARIAE.**

Fam. ULOBOROIDAE.

Gen. **Uloborus** (Latr.), 1806.

5. **U. trifasciatus**, n., *cephalothorace nigro, fascia media longitudinali pallida antice abbreviata notato; pedibus nigris, parum pallido-annulatis, metatarsis tarsisque* 1.ⁱ (*et* 4.ⁱ) *paris ad maximam*

partem pallidioribus; abdomine nigro, fasciis tribus longitudinalibus albicantibus supra ornato, dorso inter has fascias cinerascenti. — ♀ ad. *Long. circa* 5 $^1/_2$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* paullo longior quam latior, tibiam 4.[i] paris longitudine circiter aequans, inverse cordiformi-ovatus fere, postice late emarginato-truncatus, lateribus anterius fortius rotundatis et utrinque (ad oculos) sinuatis anteriora versus sensim angustatus, lateribus praeterea sat leviter rotundatis; pars cephalica brevissima et anteriora versus sensim paullo angustata est; frons levissime rotundata (tuberculo oculorum anticorum mediorum antice truncato sat fortiter prominenti tamen) dimidiam partem thoracicam latitudine vix aequat. A latere visum dorsum ante declivitatem posticam sat brevem et directam paullo proclive et rectum est; impressiones cephalicae debiles, fovea ordinaria centralis magna, sub-quadrata vel trapezoides. Series *oculorum* duae parallelae, vix vel non extremitatibus divaricantes; series postica non parum brevior quam antica, desuper visa leviter recurva, series antica hoc modo visa paullo fortius recurva; a fronte visa series postica modo levissime, series antica vero sat fortiter deorsum est curvata. Oculi medii antici, tuberculo communi forti impositi, non parum majores sunt quam oculi laterales antici, qui posticis oculis parvis et sub-aequalibus circa dimidio sunt majores. Oculi medii aream occupant paullo latiorem postice quam antice, et paullulo longiorem quam latiorem postice. Oculi medii antici spatio diametro sua paullo minore disjuncti sunt, a lateralibus anticis spatio plus duplo majore separati; oculi medii postici non parum, paene dimidio, longius inter se quam a lateralibus posticis sunt remoti. Spatium inter oculos anticos et marginem clypei eorum diametrum fere aequat. *Sternum* sub-ellipticum, saltem dimidio longius quam latius, convexum, impressionibus ad coxas praeditum.

Mandibulae parvae, directae, sub-cylindratae, circa duplo longiores quam latiores. *Maxillae* paullo divaricantes, paullo longiores quam latiores, a basi ad apicem sensim paullo dilatatae, apice late et paullo oblique truncato, angulo exteriore rotundato. *Labium* maxillis saltem duplo brevius, vix vel non longius quam

latius, apicem late et fortiter rotundatum versus non angustatum. *Palpi* breves, basi graciles, partibus patellari et tibiali a basi ad apicem sensim paullulo incrassatis, parte tarsali a basi ad apicem obtusum sensim paullulo angustata. *Pedes* graciles, 1.[i] paris reliquis tamen non parum fortiores, metatarsis tarsisque gracillimis; tibiae hujus paris (ut reliquorum) cylindratae sunt, non incrassatae, metatarsi basi modo leviter incrassati. Parce pubescentes sunt pedes, in nostro exemplo aculeis plane carentes — an detriti? — *Abdomen* circa duplo et dimidio longius quam latius, paene cylindratum, posteriora versus sensim parum angustatum, antice rotundatum, postice angustius rotundatum quoque, a latere visum parum altius antice quam postice, dorso paene recto, non gibboso. (*Vulvae* forma in nostro exemplo paullo mendoso non bene discerni potest).

Color. — *Cephalothorax* niger, fascia media longitudinali sat lata albicanti-cinerea antice abbreviata notatus. *Sternum*, *maxillae* et *labium* nigra; *mandibulae* testaceae, ad partem (basi et lateribus) nigrae. *Palpi* ad maximam partem nigri quoque. *Pedes* nigri, his exceptis: in pedibus 1.[i] paris metatarsi et tarsi sordide testacei sunt, apice nigricantes; in pedibus insequentibus tarsi (et tibiae) summa basi pallidi sunt; in pedibus 4.[i] paris femora, apice excepto (ut metatarsi, saltem basi excepta), sordide vel nigricanti-testacea sunt, tibiae summa basi pallidae, tarsi sordide testacei, apice late obscuriores. *Abdomen* nigrum, dorso magis cinerascenti et fasciis tribus longitudinalibus satis angustis albis ornato, quarum media, per totum dorsum extensa, linea tenui obscura geminata videtur, duae laterales vero, postice paullo abbreviatae, antice, ad ipsam basin dorsi, incurvae sunt; latera dorsi apud has vittas nigra sunt, ut latera praeterea, venter et mamillae.

Lg. corp. $5\,^1/_2$; lg. cephaloth. paene 2, lat. ej. paene $1\,^1/_4$, lat. clyp. circa $^1/_2$; lg. abd. $3\,^2/_3$, lat. ej. $1\,^1/_2$ millim. Ped. I paullo plus 9, II $4\,^1/_2$, III circa $3\,^3/_4$, IV paene 6 millim. longi; pat. + tib. IV circa $2\,^1/_6$ millim.

Feminam, quam singulam vidi, in ins. Nias ad Hili Zabobo inventa est.

Fam. TETRAGNATHOIDAE.

Gen. **Eucta**, Sim., 1881.

6. **E. Javana**, Thor.

Syn.: 1890. *Eucta Javana,* Thor., Studi, *cet.*, IV, Ragni dell'Indo-Malesia, *cet.*, I, *in* his Ann., Ser., 2.ª, VIII, p. 236.

Marem hujus speciei, in Java detectae, ad Gunung Sitoli in ins. Nias cepit Modigliani.

Fam. EUETRIOIDAE.

Gen. **Callinethis**, Thor., 1887.

7. **C. superba**, n., *cephalothorace tibiam 4.ⁱ paris longitudine aequanti, fusco-testaceo; pedibus ejusdem coloris, apice infuscatis, femoribus apice angustius nigris, dimidio apicali tibiarum 1.ⁱ, 2.ⁱ et 4.ⁱ parium nigro et pilis longioribus nigris dense vestito; abdomine circa duplo longiore quam latiore, antice in conum magnum crassum porrectum sensim producto, supra anterius fere librato, posterius declivi et convexo; dorso abdominis nigri plaga maxima rubra vel lutea, usque ad declivitatem posticam nigram (et serie transversa macularum 2 vel 4 notatam) pertinenti ornato, quae plaga plerumque fascia obscura utrinque ramosa persecta est; lateribus abdominis fasciis tribus obliquis flaventibus, ventre pone medium maculis minoribus duabus obliquis rubris vel pallidioribus (saepe in unam retro fractam coalitis) notato.* — ♀ ad. *Long. circa* 9 $^1/_4$ *millim.*

Femina. — Ad formam cum *C. fastuosa* (Thor.) [1], ad colorem cum *C. grata* (Guér.) valde convenit haec species. *Cephalothorax,* ad formam ut in *C. fastuosa,* tibiam 4.ⁱ paris longitudine aequat, tibia 2.ⁱ paris paullo brevior, latitudine $^3/_4$ longitudinis paullo superanti; antice leviter rotundatus est, tuberculis oculorum lateralium parum prominentibus, tuberculo oculorum mediorum truncato fortius prominenti. *Oculorum* series ambo

(1) Studi, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 413 (73) [*Meta fastuosa*].

desuper visae sat leviter recurvae sunt, series postica paullulo fortius quam antica, quae a fronte visa non parum sursum est curvata. Oculi medii, quorum antici posticis paullulo majores videntur, aream paullo longiorem quam latiorem, et parum latiorem postice quam antice, occupant; oculi medii antici, spatio diametrum suam paene aequanti separati, a lateralibus anticis spatio triplo-quadruplo majore, quam quo inter se distant, remoti sunt. Spatium inter oculos medios anticos et marginem clypei paullo minus videtur quam intervallum inter oculos medios anticos et posticos; spatium inter oculos laterales anticos et marginem clypei intervallo illo evidenter majus est. Spatium inter oculos medios posticos oculi diametrum fere aequat et saltem quadruplo minus est quam spatium, quo oculi illi a lateralibus posticis distant.

Mandibulae robustae, basi breviter geniculatae et praeterea in dorso fortiter convexae, patellis anticis paullo longiores, femoribus anticis non parum crassiores, sulco unguiculari postice 4, antice 3 dentibus armato, horum duobus exterioribus praesertim fortibus. *Maxillae* paullo divaricantes, paene dimidio longiores quam latiores apice, labio plus duplo, paene duplo et dimidio, longiores. *Pedes* non longi (2.ⁱ paris 4.ⁱ paris pedibus parum longiores), sat graciles, metatarsis et tarsis praesertim gracilibus; tibiae 1.ⁱ, 2.ⁱ et 4.ⁱ parium in dimidio apicali paullo incrassatae sunt et hic pilis densis et praesertim in tibiis 4.ⁱ paris longis (in 2.ⁱ paris non parum brevioribus) vestiti. Praeterea satis aequaliter et parum dense pilosi sunt pedes et aculeis paucis armati. In femoribus 1.ⁱ paris, antice, seriem aculeorum saltem 7 video, in femoribus insequentibus pauci vel nulli sunt aculei. Tibiae anteriores utrinque versus apicem aculeum ostendunt. *Abdomen* eadem forma est atque in *C. fastuosa:* usque a petiolo anteriora versus sensim in conum fortem supra cephalothoracem productum est, hac parte conica reliquum abdominis longitudine aequanti. Desuper visum circa duplo longius quam latius est abdomen, breviter et inverse lanceolatum fere, anteriora versus sensim angustato-acuminatum, postice breviter et cito angustatum; a latere visum sat altum est, dorso anterius usque ad apicem coni paene recto et li-

brato, posterius sensim declivi et convexo, ipsa declivitate postica rotundata et directa vel paullo reclinata, mamillis paene apicalibus. *Vulva* ex area magna, a rima genitali ad petiolum pertinenti, paene plana, cornea, nigricanti constat, quae paullo longior est quam latior, antice paullo angustior quam postice, in lateribus leviter rotundata: postice haec area foveam sat magnam parum profundam habet, quae anterius margine tenui elevato fortiter recurvo (apicibus retro productis) limitatur, et quae postice costam mediam longitudinalem brevem, tenuem, ad marginem rimae genitalis (in medio paullo elevatum) pertinentem ostendit.

Color. — *Cephalothorax* fusco-testaceus, impressionibus cephalicis et sulcis radiantibus, cum linea media longitudinali partis cephalicae, interdum infuscatis; *sternum, maxillae* et *labium* nigra. *Mandibulae* piceae, apice nigrae. *Palpi* testacei, parte tarsali apice late nigra. *Pedes* fusco-testacei, metatarsis basi excepta et tarsis plus minus infuscatis: praeterea apice minus late nigra sunt femora omnia, tibiae 3.ii paris et patellae; tibiae reliquae 6 apice latissime (ab apice usque ad medium) nigrae sunt et hic pilis densis sub-patentibus nigris vestitae; etiam praeterea pedes nigro-pilosi et -aculeati sunt. *Abdominis* dorsum plaga maxima rubra vel lutea occupatur, quae postice, ubi late sub-truncata est, usque ad declivitatem posticam nigram et superius macula parva testacea utrinque notatam pertinet; haec plaga interdum usque ad apicem anticum dorsi pertinet, interdum hic apex plus minus late sub-testaceus vel cinerascens est. Secundum medium plagae linea vel fascia longitudinalis obscura, ramos tres retro et foras directos utrinque emittens, plerumque extenditur; interdum plaga in lateribus anterius testaceo- vel flavo-limbata est, interdum secundum medium magis testacea. Latera abdominis sub plaga nigra sunt et vittis tribus obliquis flaventibus ornata, pone eas vero macula flava; quae maculae cum maculis duabus declivitatis posticae seriem transversam paene rectam formant. Venter niger inter rimam genitalem et mamillas, paullo magis postice, maculas duas sat parvas obliquas rubras vel luteas ostendit, quae saepe in unam, retro fractam, unitae sunt. *Mamillae* superiores fusco-testaceae, apice nigricantes, inferiores subter fuligineae.

Lg. corp. 9 $^{1}/_{4}$; lg. cephaloth. 4, lat. ej. 3 $^{1}/_{2}$, lat. clyp. circa 2; lg. abd. 8 $^{2}/_{3}$, lat. ej. 4 $^{1}/_{2}$, alt. ej. 4 $^{3}/_{4}$ millim. Ped. I 20, II 16, III 9 $^{1}/_{4}$, IV 15 $^{1}/_{2}$ millim. longi; pat. + tib. IV 5 $^{1}/_{6}$ millim.

Feminam singulam adultam, cum tribus junioribus, in Nias ad Hili Zabobo collegit Cel. Modigliani.

Gen. **Argyroepeira**, Emerton, 1884.

8. **A. quadri-fasciata**, n., *cephalothorace sub-luteo, aut* (♂) *tibia* 4.^{i} *paris breviore, aut* (♀) *eam longitudine aequanti; spatiis inter oculos posticos medios et laterales latitudine areae oculorum mediorum non parum majoribus; pedibus sub-testaceis vel fusco-testaceis, parum nigro-annulatis; abdomine longiore, posteriora versus sensim paullo angustato, antice et postice rotundato, non tuberculato, neque anteriora versus in formam coni, nec retro pone mamillas producto: cinerascenti-fusco, supra fasciis 4 longitudinalibus argenteis ornato, quarum laterales e margine inferiore inaequali ramum deorsum et retro directum emittunt, mediae vero saltem bis abruptae sunt et in apice postico macula nigra notatae, apice abdominis lineola deorsum curvata et sub ea lineolis transversis* 2(-3) *nigris notato, ventre lineis vel fasciis duabus longitudinalibus albicantibus signato; basi partis tarsalis in* ♂ *intus spina longa gracili curvata pallida, fere intus et sursum directa, armata.* — ♂ ♀ ad. *Long.* ♂ *circa* 5 $^{1}/_{2}$, ♀ *circa* 7 *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* circa $^{1}/_{4}$ longior est quam latior, non parum brevior quam tibia 4.^{i} paris, forma in hoc genere ordinaria; frons rotundata (tuberculo oculorum mediorum tamen fortiter prominenti) dimidiam partem thoracicam latitudine non aequat. Series *oculorum* postica desuper visa modo leviter recurva est, series antica hoc modo visa sat fortiter recurva; a fronte visa series postica leviter deorsum est curvata, series antica paullo fortius sursum curvata. Oculi medii lateralibus evidenter majores sunt, medii antici mediis posticis ut videtur paullulo majores. Oculi medii aream rectangulam parum longiorem quam latiorem formant. Spatium inter oculos medios anticos, ut inter medios posticos, oculi diametro evidenter minus est; spatia,

quibus medii a lateralibus ejusdem seriei distant, circa quadruplo majora sunt quam intervallum, quo inter se sunt disjuncti; spatium inter oculos posticos medium et lateralem latitudinem posticam areae oculorum mediorum evidenter non parum (vix dimidio tamen) majus est.

Mandibulae femoribus anticis paullo crassiores sunt, paene duplo et dimidio longiores quam latiores. *Maxillae* labio paullo plus duplo longiores, paullo foras curvatae, paene duplo longiores quam latiores apice. *Labium* parum longius quam latius, apice late rotundatum et incrassato-marginatum. *Palpi* graciles, clava tamen femora antica latitudine paene aequanti. Pars gracillima trochanteralis valde longa est, pars femoralis eà vix duplo longior, apicem versus sensim paullo incrassata; pars patellaris apicis partis femoralis crassitie est, paullo longior quam latior; pars tibialis, a basi angusta usque ad apicem sensim non parum incrassata, parte patellari fere duplo longior est, saltem duplo longior quam latior apice. Pars tarsalis, convexitate intus vergenti, sub-ovata est, partes duas priores conjunctas longitudine fere aequans et apice partis tibialis multo latior; a basi lateris ejus interioris, superius, spina longa pallida anteriora versus et foras curvata exit, intus, sursum et anteriora versus directa; a basi vero lateris exterioris partis tarsalis alius procursus paullo latior, brevior et obscurior (apice obtuso et inaequali paullo intus curvato) exit, qui foras et paullo anteriora versus directus est. Bulbus magnus et inflatus in ipso apice procursum breviorem curvatum ostendit, cujus apex in uncum minutum (uncos duos?) desinit. *Pedes* longi, graciles, aculeis crebris praesertim in femoribus (ubi circa 20 sunt) et tibiis anterioribus armati; metatarsi anteriores modo basi supra aculeum habere videntur. *Abdomen* longum et angustum, posteriora versus sensim paullo angustatum, basi et apice rotundatum, mamillis apicalibus.

Color. — *Cephalothorax, mandibulae, sternum* cum coxis pedum, *maxillae* et *labium* luteo-flava sunt, *palpi* pallide flavi, bulbo genitali nigricanti. *Pedes* sordide vel sub-olivaceo-testacei, basi clariores, tibiis saltem anterioribus apice nigricantibus, femoribus et patellis apice angustissime et minus evidenter nigricantibus.

Abdomen superius cinerascenti-fuscum est, fasciis duabus longitudinalibus angustis, hic illis interruptis, posteriora versus sensim paullo appropinquantibus, et spatio sat lato disjunctis secundum medium dorsi ornatum, in lateribus vero, superius, aliis duabus fasciis ejusmodi latis, in margine inferiore inaequalibus et hic ante medium ramum oblique deorsum et retro directum emittentibus, et spatio angustiore a fasciis illis separatis; ita ut abdomen, desuper visum, quattuor fasciis longitudinalibus argenteis ornatum evadat. Basis dorsi maculis parvis argenteis sparsa est. Prope apicem dorsi, utrinque, in apice postico fasciarum angustiorum, macula sat parva nigra conspicitur, et paullo pone eas, ad ipsum apicem dorsi, lineola transversa deorsum curvata nigra: sub ea declivitas postica lineolas 2-3 transversas rectas nigras ostendit. Venter ante rimam genitalem fuscus est, pone eam sub-olivaceus et lineis duabus longitudinalibus paullulo incurvis albicantibus notatus.

Femina, quae hujus speciei certe est, ad formam parum a mare nisi structura palporum differt, ut et pedibus, praesertim anterioribus, et abdomine brevioribus. *Cephalothorax* aeque longus est ac tibia 4.[i] paris. Aculei femorum anteriorum pauciores sunt (modo circa 10 in femoribus 1.[i] paris); tibiae 4.[i] paris basi excepta paullo densius et longius pilosae sunt quam pedes praeterea. *Abdomen* brevius et crassius est quam in mare, a latere visum postice paullo oblique truncatum, mamillis tamen parum ante apicem dorsi locatis. *Vulva* ex fovea transversa sat magna, brevi et latissima, paullo ante rimam genitalem sita constat, quae antice margine aequaliter et leviter recurvo definitur, postice vero callo transverso, cujus margo anterior etiam levius procurvus est (margo ejus posticus rectus rimam genitalem limitat); extremitates hujus foveae acuminatae sunt; in fundo foveolas duas ostendit, et a medio marginis ejus postici impressiones duae brevissimae, spatio minuto separatae retro sunt ductae.

Color plane ut in mare diximus, his exceptis. *Mandibulae* cephalothorace obscuriores sunt, sub-ferrugineae. *Palpi* flavo-testacei, parte tarsali infuscata. *Pedes* luteo- vel ferrugineo-testacei, apicem versus paullo infuscati; tibiae 4.[i] paris, quae apice sat late nigrae

et densius nigro-pilosae sunt, praeterea vestigia annuli lati medii nigricantis ostendunt; tibiae 1.[i] et 2.[i] parium apice satis anguste nigricantes sunt, femora et patellae vero apice vix vel parum distincte infuscata. Color *abdominis* idem est atque in mare, excepto quod duae mediae fasciarum (4) argentearum dorsi latiores sunt quam in eo, et spatia inter fascias omnes eadem latitudine fere; ex maculis (in nostro exemplo, antice mendoso et decolore, modo ternis), in quas fasciae duae mediae sunt abruptae, anteriores (mediae?) binae breviores et obliquae sunt. Apex abdominis et venter eandem picturam atque in mare habent.

♂. — Lg. corp. 5 $^1/_2$; lg. cephaloth. 2 $^1/_2$, lat. ej. paene 2, lat. clyp. parum plus 1; lg. abd. paene 3 $^1/_2$, lat. ej. circa 1 $^1/_2$ millim. Ped. I 22 (pat. + tib. 7, metat. + tars. 9), II 17 $^1/_2$, III 7 $^1/_2$, IV 12 millim. longi; pat. + tib. IV 4 (tib. 3) millim.

♀. — Lg. corp. 7; lg. cephaloth. 3, lat. ej. 2 $^1/_4$, lat. clyp. circa 1 $^1/_2$; lg. abd. saltem 4, lat. ej. circa 2 $^1/_2$ millim. Ped. I 18, II 13 $^1/_2$, III paullo plus 7, IV 12 millim. longi; pat. + tib. IV 4 millim.

Feminam supra descriptam in Sumatra (Siboga) invenit Modigliani; mas ex ins. Pinang est. — Ad colorem abdominis *A. granulatae* (Walck.) valde similis est haec species, sed caret tuberculis in abdomine; spatio magno inter oculos posticos medios et laterales transitum ad gen. *Callinethin* format.

9. **A. nigro-trivittata** (Dol.).

Syn.: 1859. *Epeira nigrotrivittata*, Dol., Tweede Bijdr., *cet.*, *in* Verhand. d. Natuurkund. Vereen. in Nederlandsch Indie (Acta Soc. Scient. Indo-Neerlandicae), V, p. 39, Tab. XI, fig. 5.

Exempla pauca feminea ad Sibogam Sumatrae collegit Modigliani. In Sumatra, ut in Java, haec species vulgaris videtur.

10. **A. Celebesiana** (Walck.).

Syn.: 1841. *Tetragnatha celebesiana*, Walck., H. N. d. Ins. Apt., II, p. 222.

Etiam hujus speciei, multissimis locis Asiae meridionalis et Australiae vulgaris, Cel. Modigliani exempla nonnulla in Sumatra (Siboga) collegit.

11. **A. Emertonii**, n., *cephalothorace fusco-testaceo, marginibus et macula vel fascia longitudinali partis thoracicae nigris; pedibus sub-testaceis, distinctissime et sat dense nigro-annulatis; abdomine circa duplo longiore quam latiore, sub-cylindrato, a latere viso postice oblique et late truncato, apice dorsi in angulum retro producto; dorso et, superius, lateribus abdominis olivaceo-nigricantibus et maculis parvis inaequalibus flavis vel sub-aureis densissime conspersis, apice dorsi lineolis duabus parvis crassis deorsum directis (vel fere annulo nigro infra aperto) notato, declivitate postica utrinque, sub iis, maculis paucissimis parvis nigris; lateribus abdominis inferius et ventre pallidioribus, illis vittis paucis obliquis sub-sinuatis notatis, ventre secundum medium fascia lata postice paullo abbreviata obscuriore (antice et postice nigra), ut et utrinque linea longitudinali nigra, ornato.* — ♀ ad. *Long. circa* 6 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* non parum brevior est quam tibia 4.ⁱ paris, circa dimidio longior quam latior; frons dimidiam partem thoracicam latitudine paullo superat, tuberculo oculorum mediorum anticorum latissimo, truncato et prominenti. *Oculi* sat magni, sub-aequales, laterales postici tamen reliquis paullo minores (medii antici, maculis nigris impositi, reliquis paullo majores visi sunt). Series oculorum postica desuper visa levissime recurva est, series antica hoc modo visa sat fortiter recurva; a fronte visa series antica modice sursum est curvata, series postica magis leviter deorsum curvata. Oculi medii aream rectangulam paullo longiorem quam latiorem formant. Oculi medii postici, spatio oculi diametrum fere aequanti sejuncti, a lateralibus posticis spatiis non parum majoribus sejuncti sunt, his spatiis tamen latitudine areae oculorum mediorum evidenter minoribus; oculi medii antici, qui intervallo oculi diametrum circiter aequanti separati videntur, paullo longius a lateralibus anticis quam inter se remoti sunt. Clypei altitudo oculi medii antici diametrum vix superat, nec major est quam spatia, quibus medii antici a mediis posticis distant.

Mandibulae femoribus anticis paullo crassiores sunt, paene duplo et dimidio longiores quam latiores, in dorso versus basin fortiter convexae. *Maxillae* fere duplo longiores quam latiores

apice, labio duplo longiores. *Labium* paullo latius quam longius, apice rotundato, in medio truncato. *Palporum* pars patellaris dimidio longior est quam latior, pars tibialis eà fere duplo longior. *Pedes* graciles, parce pilosi, aculeis sat crebris, ad partem longis, armati; femora anteriora circa 7 aculeos non longos ostendunt, femora posteriora pauciores aculeos; tibiae e. gr. 1.[i] paris aculeis saltem 6 praeditae sunt. *Abdomen* saltem duplo longius quam latius, desuper visum lanceolato-cylindratum fere, antice rotundatum, postice sub-acuminatum vel angulum paullo retro productum formans; a latere visum cylindratum est, dorso paene recto, postice satis oblique et late truncato, mamillis ita paullo ante apicem abdominis locatis. *Vulva* ex area sat magna paene plana nigra constat, quae ad medium inter rimam genitalem et petiolum pertinet et aeque circiter lata et longa est, antice sat leviter rotundata: postice, ad rimam genitalem, impressione triangula nitida forti praedita est.

Color. — *Cephalothorax* fusco-testaceus, margine laterali partis thoracicae nigro, hac parte etiam secundum medium nigricanti. *Sternum* cum *labio* nigrum. *Mandibulae* sub-ferrugineae. *Maxillae* nigricantes, fascia longitudinali sub-testacea notatae. *Palpi* flavo-testacei, parte tarsali apice nigra. *Pedes* testacei, apicem versus sensim paullo infuscati, coxis, trochanteribus et basi femorum clarioribus, testaceo-flavis; sat dense et distinctissime nigro-annulati sunt. Femora annulo prope apicem sito (non apicali) alioque paullo ante medium cincta sunt, tibiae annulis tribus, apicali et medio sat latis, basali angusto, metatarsi annulis binis vel ternis, apicali et medio sat latis, basali vero angustissimo vel obsoleto; etiam patellae et tarsi apice plus minus evidenter nigri vel nigricantes sunt. In pedibus 3.[ii] paris tibiae et metatarsi annulo medio distincto carere videntur. *Abdomen* olivaceo-nigricans est, maculis parvis inaequalibus flaventibus vel sub-aureis in dorso et in lateribus, superius, densissime conspersum; in ipso apice dorsi lineolae duae crassae breves deorsum directae (supra inter se unitae?) adsunt, et sub iis, in declivitate postica et apud mamillas, maculae paucissimae parvae nigrae conspiciuntur. Latera inferius et venter pallidiora, olivaceo-cine-

rascentia fere, sunt, latera paucis vittis obliquis sinuatis et maculis nigris notata; venter ante rimam genitalem nigricans est, dein fascia media longitudinali lata paullo infuscata est notatus, quae non usque ad mamillas pertinet, et quae antice maculam fere quadratam nigram, postice maculam transversam nigram format. Utrinque apud hanc fasciam latam (quae etiam nigra et in medio latissime clarior dici potest) linea longitudinalis nigra conspicitur. *Mamillae* sordide cinereo-olivaceae.

Lg. corp. 6; lg. cephaloth. 2, lat. ej. paene 1 $^2/_3$, lat. clyp. circa 1; lg. abd. 4, lat. ej. paene 2 millim. Ped. I 19 $^1/_2$, II 11 $^1/_2$, III 6, IV 10 $^1/_4$; pat. + tib. IV 3 millim.

Feminam singulam ad Hili Zabobo (in Nias) cepit Modigliani. — Haec species *A. ventrali* (Thor.) (1) simillima est, pedibus fortiter nigro-annulatis, abdomine paullo angustiore et paullo aliter colorato, praesertim vero forma vulvae alia facile internoscenda.

Gen. **Larinia**, Sim., 1874.

12. **L. diluta** (Thor.), *cephalothorace tibia 4.ⁱ paris paullo breviore, luteo-testaceo, linea media longitudinali nigricanti notato et pilis pallidis sparso; serie oculorum postica paullulo procurva, oculis mediis posticis sub-contingentibus inter se, oculis seriei anticae spatiis sub-aequalibus separatis; sterno, partibus oris, palpis et pedibus pallide testaceis, crasse et sat dense pallido-pilosis, aculeis crebris pallidis, saltem ad partem punctis fuscis impositis, armatis; abdomine anguste fusiformi, antice posticeque in conum brevem crassum obtusum producto, dorso albicanti-cinereo, fascia albicanti secundum medium, et posterius ordinibus duobus lateralibus punctorum nigricantium utrinque circa* 5 *notato, pallido-pubescenti et pilis longis fortibus pallidis sat raris consperso, ventre sordide testaceo, antice pone rimam genitalem satis anguste nigricanti, dein fascia longitudinali brevi et sat lata alba notato; vulva sat parva fusca paullo latiore quam longiore, posteriora versus*

(1) Studi, *cet.*, 1, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 423 (80) [*Meta ventralis*].

sensim non parum angustata, antice late et sat fortiter rotundata, postice sub-truncata et, in medio, incisa, magis antice vero in foveas duas transversas profundas, usque ad marginem lateralem vulvae pertinentes excavata, his foveis septo brevi lato plano separatis. — ♀ ad. *Long. circa* 6 $^{2}/_{3}$ *millim.*

Syn.: 1887. *Lipocrea diluta*, Thor. [Viaggio di L. Fea, *cet.*, II.], Primo Saggio sui Ragni Birmani, loc. cit., p. 146.

Feminam adultam a Cel. Modigliani in Nias captam eandem speciem credo atque feminam juniorem a Cel. Fea in Birmania inventam, quam loc. cit. descripsi; novam diagnosin exempli adulti hic dare utile putavi. — Praeter magnitudine minore, cephalothorace tibiam 4.^{i} paris longitudine non aequanti, ventre fascia brevi alba notato, et praesertim distributione oculorum paullo diversa et forma vulvae alia, haec aranea parum a *L.* [*Meta*] *fusiformi*, Thor. (1), et a *L. tabida* (L. Koch) Thor., sive *Meta sorore*, Thor. (2), differre videtur. Vulva *scapo* caret, ut in *L. tabida* (L. Koch) Thor.: num in his formis est abruptus? — Oculorum series postica paullulo procurva, paene recta (non recurva) est, series antica a fronte visa recta; oculi medii postici vix ullo spatio distincto separati. Oculi medii antici spatio diametro sua paullulo majore disjuncti sunt, vix vel non longius a lateralibus anticis quam inter se remoti. Pedes 1.^{i} paris cephalothorace paene quintuplo longiores sunt et pedibus 3.^{ii} paris circa duplo et dimidio longiores. In pedibus 1.^{i} paris, e. gr., femora circa 5 aculeos habent, patellae 1 aculeum apice supra et 1. 1. aculeos in utroque latere: tibiae supra, antice et postice 1. 1. 1. aculeos, metatarsi 1. 1. 1. supra et 1. 1. saltem antice habent.

Lg. corp. 6 $^{2}/_{3}$; lg. cephaloth. 2 $^{1}/_{6}$, lat. ej. paene 1 $^{1}/_{3}$, lat. front. paullo plus $^{3}/_{4}$; lg. abd. 4 $^{1}/_{2}$, lat. ej. paene 1 $^{1}/_{2}$ millim. Ped. I 10 $^{1}/_{2}$, II 9, III 4 $^{3}/_{4}$, IV 8 $^{1}/_{2}$ millim. longi; pat. + tib. IV parum plus 2 $^{1}/_{2}$ millim.

Cel. Modigliani, ut dixi, feminam adultam supra adumbratam

(1) Ibid., p. 431 (91).
(2) Ibid., p. 433 (93).

in ins. Nias (ad Bawo Lowalani) invenit; aliam, juniorem, quae ejusdem speciei videtur, in Sumatra ad Sibogam cepit. In hoc exemplo juniore fascia ventris alba in maculam minus distinctam redacta est (et series oculorum postica plane recta): in exemplo Birmanico venter totus fusco-cinereus est, fascia vel macula alba carens. — An eadem est haec species ac *L. flavescens*, Sim. (1), ex Tes Arabiae?

Gen. **Nephilengys**, L. Koch, 1872.

13. **N. Malabarensis** (Walck.).

Syn.: 1841. *Epeira malabarensis*, Walck., H. N. d. Ins. Apt., II, p. 102.

Hujus speciei, in Indo-Malesia vulgatissimae, et etiam aliis locis Asiae meridionalis et Australiae, immo Africae et Americae meridionalis, inventae, Cel. Modigliani multa exempla collegit, non tantum ad Padang et Sibogam in Sumatra, verum etiam in Nias, ad Gunung Sitoli, Bawo Lowalani et Fadoro.

Gen. **Nephila** (Leach), 1815.

14. **N. maculata** (Fabr.).

Syn.: 1793. *Aranea maculata*, Fabr., Entom. Syst., II, p. 425.

Exempla nonnulla feminea, adulta et juniora, in Nias ad Hili Zabobo et Bawo Lowalani a Modigliani collecta sunt. Per fere totam Asiam meridionalem et Australiam vulgaris est haec species, fortasse etiam in Africa occidentali vitam degens.

Gen. **Argiope**, Sav., 1827.

15. **A. pulchella**, Thor.

Syn.: 1881. *Argiope pulchella*, Thor., Studi, *cet.*, III, Ragni dell'Austro-Malesia, *cet.*, loc. cit., p. 74.

Feminam adultam aliamque juniorem ad Hili Zabobo captas examinavi. Haec species, quae in Birmania et in Siam sat fre-

(1) [Viaggio ad Assab nel Mar Rosso dei sig.i G. Doria ed O. Beccari, *cet.*, II.] Études sur les Arachn. du Yemen mérid., *in* his Ann., XVIII (1882), p. 233 (29).

quens videtur, antea, quantum scio, in Indo-Malesia capta non fuit.

16. **A. versicolor** (Dol.).

Syn.: 1859. *Epeira versicolor*, Dol., Tweede Bijdr., *cet.*, loc. cit., p. 31, Tab. IX, fig. 10.
1890. *Argiope* » Thor., Studi, *cet.*, IV, Ragni dell' Indo-Malesia, I, loc. cit., p. 95.

Cel. Modigliani hujus araneae (adhuc modo in Indo-Malesia captae) exemplum femineum adultum in Nias, ad Gunung Sitoli, invenit. Aliam feminam adultam in Sumatra, ad Sibogam, cepit.

17. **A. aemula** (Walck.).

Syn.: 1841. ? *Epeira aemula*, Walck., H. N. d. Ins. Apt., II, p. 118.

In Nias, ad Lelemboli, Hili Zabobo et Bawo Lowalani, Modigliani feminas nonnullas *A. aemulae* collegit; marem adultum aliumque juniorem, qui hujus speciei videntur, in Sumatra (Siboga) invenit. — *A. aemula* aranea est per fere totam Asiam meridionalem et Australiam diffusa.

Gen. **Herennia**, Thor., 1877.

18. **H. multipuncta** (Dol.).

Syn.: 1859. *Epeira multipuncta*, Dol., Tweede Bijdr., *cet.*, loc. cit., p. 32, Tab. XI, fig. 1-1*f*.

Femina adulta in Nias ad Gunung Sitoli capta est. — *Herennia multipuncta* multis locis Asiae meridionalis, praesertim in Indo-Malesia, et praeterea in Amboina, inventa fuit.

Gen. **Euetria**, Thor., 1887.

19. **E. Moluccensis** (Dol.).

Syn.: 1857. *Epeira moluccensis*, Dol., Bijdr. t. de Kennis d. Arachn. v. d. Ind. Archip., *in* Natuurkundig Tijdschr. van Nederlandsch Indië, XIII (Ser. 3, III), p. 418.

Sat multa exempla feminea in Nias, ad Lelemboli, Bawo Lowalani et praesertim Gunung Sitoli collecta, vidi. — *E. Moluc-*

censis aranea praesertim in Malesia vulgaris est, etiam multis aliis locis Asiae meridionalis et Australiae vitam degens.

Gen. **Epeira** (Walck.), 1805.

20. **E. de Haanii**, Dol.

Syn.: 1859. *Epeira de Haanii*, Dol., Tweede Bijdr., *cet.*, loc. cit., p. 33, Tab. II, fig. 7.

Cel. Modigliani tres feminas *E. de Haanii* ad Hili Zabobo unamque ad Bawo Lowalani collectas domum misit. — Haec species magna per totam Malesiam diffusa est, etiam in aliis locis Asiae meridionalis, e. gr. in Birmania, inventa.

21. **E. caput lupi**, Dol.

Syn.: 1859. *Epeira caput lupi*, Dol., Tweede Bijdr., *cet.*, loc. cit., p. 35, Tab. VIII, fig. 6.

Etiam hujus speciei feminam pulcherrimam adultam ad Hili Zabobo cepit Modigliani. Adhuc modo in ins. Moluccis et Aru inventa fuit *E. caput lupi*, quae *forsitan* modo varietas est *E. de Haanii*.

22. **E. unicolor**, Dol.

Syn.: 1857. *Epeira unicolor*, Dol., Bijdr., *cet.*, loc. cit., p. 149.

Feminam juniorem, ad Lelemboli in ins. Nias captam, examinavi. — Haec species antea modo in Amboina inventa fuit.

23. **E. Théisii**, Walck.

Syn.: 1841. *Epeira Théisii* [*Thëis*], Walck., H. N. d. Ins. Apt., II, p. 53; Atlas, Pl. 18, fig. 4.

Marem adultum ad Hili Zabobo, feminam juniorem ad Gunung Sitoli invenit Modigliani. — *E. Théisii* species est per maximam partem Asiae meridionalis et Australiae vulgaris.

24. **E. pullata**, Thor.

Syn.: 1877. *Epeira pullata*, Thor., Studi, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 385 (45).

Hujus speciei, ut videtur per fere totam Indo-Malesiam distributae et etiam in Amboina, in Birmania, cet., vitam degentis, feminam juniorem in Sumatra (Siboga) cepit Modigliani.

25. **E. anseripes**, Walck.

Syn.: 1841. *Epeira anseripes*, Walck., H. N. d. Ins. Apt., II, p. 146.

In ins. Nias, ad Lelemboli, exempla nonnulla feminea *E. anseripedis* collegit Modigliani. Haec species per totam Malesiam aliasque partes Asiae meridionalis et Australiae, saltem usque in Novam Hollandiam, diffusa est.

Gen. **Poltys**, C. L. Koch, 1843.

26. **P. pygmaeus**, n., *cephalothorace sordide testaceo, parte cephalica, apice antico late ferrugineo excepto, nigra, limbo laterali et fascia media partis thoracicae nigris quoque; pedibus sordide testaceis, dense nigro-annulatis; abdomine sub-ovato, aequali, non tuberculato, dorso ejus nigro ∧ cinereo-testaceo ad marginem anticum, et fasciis duabus latis inaequalibus ejusdem coloris secundum latera ornato, spatio interjecto ordinibus duobus longitudinalibus macularum cinereo-testacearum notato, quarum duae anticae (paris primi) magnae sunt, reliquae parvae et minus distinctae.* — ♂ ad. *Long. circa 2 millim*

Mas. — *Cephalothorax* modice altus, laevis, circa dimidio longior quam latior, tibia 4.[i] paris paullo longior, lateribus fere in medio leviter sinuatis anteriora versus angustatus, parte thoracica brevi et in lateribus posterius fortiter rotundata, postice late truncata, parte cephalica lateribus etiam quoad libera est longis anteriora versus primum levius, denique, ante oculos posticos, paullo fortius anteriora versus sensim angustata, fronte truncata, angusta, vix $^1/_3$ latitudinis maximae cephalothoracis latitudine aequanti. Dorsum ante declivitatem posticam brevem

et praeruptam usque ad oculos rectum et libratum est, transversim satis convexum, impressionibus cephalicis distinctis, fovea ordinaria centrali magna longa apud declivitatem posticam locata. *Oculi* 4 medii magni et sub-aequales fere totam faciem directam occupant, aream paene rectangulam paullo latiorem quam longiorem formantes; oculi laterales, qui (praesertim lateralis anterior) iis non parum minores sunt, in lateribus partis cephalicae locum tenent, posterior parum altius quam anterior locatus. Oculi seriei posticae in seriem omnium fortissime recurvam sunt ordinati, vel potius in trapezium circa duplo latius postice quam antice, et paullo longius quam latius antice; series quoque antica desuper visa fortiter recurva dici potest. Spatium inter oculos medios utriusque seriei eorum diametro evidenter majus est: a lateralibus anticis spatio non parum minore sunt remoti, quam quo inter se distant. Spatium inter oculos laterales binos non parum majus est quam spatium, quo anterior eorum ab oculo medio antico distat; oculi laterales postici a mediis posticis evidenter longius quam hi inter se remoti sunt. *Sternum* magnum, cordiformi-triangulum fere.

Mandibulae directae, angustae, sub-cylindratae, circa triplo longiores quam latiores. *Maxillae* parum longiores quam latiores, paullo divaricantes, labio saltem duplo latiores. *Labium* paullo latius quam longius, apice rotundatum. *Palpi* sat breves et fortes, clava femora antica latitudine aequanti. Pars patellaris circiter aeque longa et lata est, pars tibialis ejus latitudine saltem, et non parum latior quam longior; pars tarsalis prioribus duobus internodiis conjunctis multo est longior, parte tibiali non parum latior, ovato-elliptica, circa duplo longior quam latior, basi supra, extus, procursu mediocri procurvo fusco praedita, et apice extus quasi in rostrum leviter deorsum et intus curvatum desinens; bulbus genitalis contra apice magis intus in spinam gracilem paullo foras curvatam excurrit. *Pedes* mediocres, forma in *Epeiris* ordinaria, minus dense pilosi et aculeati. Coxae et femora omnia subter inermia sunt; superius femora saltem anteriora aculeis paucis gracilibus sunt munita. Patellae anteriores saltem utrinque aculeum habent; etiam tibiae et metatarsi aculeis paucis graci-

libus non longis praedita sunt. *Abdomen* dimidio longius quam latius, antice rotundatum, praeterea lateribus leviter rotundatis posteriora versus sensim modice angustatum et postice sub-acuminatum, sub-ovatum igitur, laeve, tuberculis aliisque procursibus carens (an ita in femina quoque?).

Color. — *Cephalothorax* sordide fuscus, pallido-pubescens, parte cephalica nigricanti et antice plaga sat magna sub-ferruginea occupata, margine laterali et stria vel fascia longitudinali partis thoracicae nigris quoque. *Sternum* nigricanti-testaceum, limbo angusto nigro. *Mandibulae* sordide testaceae. *Maxillae* et *labium* obscure testacea, illae macula nigra extus notatae. *Palpi* sordide testacei, clava nigra. *Pedes* sordide testacei, sat dense nigro-annulati: coxae subter paullo nigro-maculatae vel nigro-marginatae sunt, femora apice sat late nigra, patellae apice anguste nigrae; tibiae et metatarsi annulos binos, medium et apicalem, habent, basi quoque plus minus evidenter et anguste nigri; tarsi apice nigri sunt. *Abdomen* nigrum, hac pictura pallida, cinereo-flaventi, in dorso: prope marginem anticum Λ sat magnum ostendit, cujus apices posteriores foras curvati transversim versus latera producti sunt: ab his vittis vel lineis transversis fasciae duae latissimae, in marginibus valde inaequales, posteriora versus sensim appropinquantes et paullo angustatae secundum latera dorsi paene usque ad apicem ejus extensae sunt, cum Λ illo spatium longum et latum, posteriora versus sensim angustatum limitantes; antice, paullo pone Λ illud, hoc spatium maculam magnam inaequalem pallidam utrinque continet, et pone has maculas series duas longitudinales macularum ejusmodi parvarum et minus evidentium. Saltem in partibus pallidis argenteo-cinerascenti-pubescens est dorsum. Latera abdominis inferius sordide testacea sunt, a ventre nigricanti linea vel fascia nigra limitata; *mamillae* nigricantes.

Lg. corp. 2; lg. cephaloth. paullo plus 1, lat. ej. max. circa $^3/_4$, lat. front. circa $^1/_3$; lg. abd. paene 1 $^1/_2$, lat. ej. paene 1 millim. Ped. I paene 3 $^2/_3$, II circa 3, III circa 2, IV circa 2 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. IV paene 1 millim.

Mas singulus hujus araneolae, quam, veloci oculo aspectam,

Epeiram minutam facile credideris, in Sumatra ad Sibogam inventus est.

Gen. **Cyrtarachne**, Thor., 1868.

27. **C. coccinella**, n., *cephalothorace, mandibulis et palpis luteis, pedibus ejusdem coloris, metatarsis tarsisque nigris; abdomine paene* $^1/_4$ *latiore quam latiore, posterius amplissime et fortissime rotundato, anterius latissime quidem sed minus fortiter rotundato et, in medio, truncato, supra flavo, maculis parvis rotundatis* 17-19 *nigris, quarum marginales binae anteriores geminatae vel oblongae sunt, ornato.* — ♀ ad. *Long. circa* 5 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* forma in hoc genere ordinaria, tibia 4.ⁱ paris paullo longior, fere aeque longus ac latus, sat altus, dorso a latere viso ante declivitatem posticam primum fortiter convexo, versus oculos fortiter proclivi, area oculorum satis eminenti ea quoque fortiter proclivi, clypeo directo, fronte $^2/_3$ partis thoracicae latitudine circiter aequanti; nitidus est, laevis et glaber, impressione levi pone oculos medios posticos. Series *oculorum* antica a fronte visa recta est, series postica desuper visa plane recta videtur quoque. Oculi bini laterales tuberculo parvo impositi sunt et contingentes inter se; oculi medii, tuberculo truncato paullo prominenti impositi, aequales sunt et in rectangulum paullo latius quam longius dispositi. Spatium inter medios anticos (ut inter medios posticos) oculi diametrum aequat; a lateralibus anticis spatio saltem triplo majore, quam quo inter se distant, remoti sunt oculi medii antici. *Sternum* paullo longius quam latius, ovato-cordiforme, planum et laeve. *Mandibulae* conico-ovatae, ad basin femoribus anticis fere dimidio latiores, paene duplo longiores quam latiores; in dorso modice convexae, laeves et glabrae. *Pedes* breves, minus dense pilosi, aculeis carentes. *Abdomen*, longe pone marginem anticum cephalothoraci affixum eumque ad maximam partem hoc margine subter sub-excavato tegens, subter planum est, supra vero fortiter convexum, circa $^1/_4$ latius quam longius, anterius, usque ad circa $^1/_3$ longitudinis (ad humeros rotundatos), latissime ro-

tundatum et in medio truncatum, praeterea vero (posterius) amplissime et fortissime rotundatum, fere semi-circulatum. Nitidum et glabrum est, tuberculis carens, supra cicatricibus sat magnis punctisque paucis impressis sparsum et praeterea subtilissime et dense impresso-punctulatum: margo dorsi corona cicatricum circa 13 circumdatus est, quarum media antica sat parva et oblonga est et in depressione oblonga sita: utrinque apud eam binae cicatrices majores adsunt, quarum altera paullo pone alteram, magis intus, est locata, tum sequitur utrinque cicatrix parva paullo ante humerum sita. Reliquae 6 marginales, quarum duae anticae in humeris locum tenent, majores sunt et in semicirculum dispositae. Praeterea dorsum 6 cicatrices ostendit, figuram magnam hexagonam paullo longiorem quam latiorem formantes: anticae et posticae earum rectangulum paene duplo longius quam latius formant, mediae, longius inter se distantes, et aeque longe ab anticis et a posticis remotae, cum anticis trapezium circa duplo latius postice quam antice et circiter aeque longum et latum formant. Venter sulcis transversis procurvis profundis exaratus est. *Vulva* callum parvum transversum formare videtur.

Color. — *Cephalothorax, mandibulae, maxillae* et *palpi* lutea sunt, *pedes* lutei, metatarsis tarsisque nigris vel nigricantibus. *Sternum* cum *labio* ferrugineo-fuscum. *Abdomen* supra pulchre flavum est, maculis parvis rotundatis nigris circa 14, quae cicatrices nigras includunt, ornatum: maculae duae ad marginem anticum oblongae sunt, anteriora versus divaricantes, et duplices, i. e. binas cicatrices includunt; etiam maculae duae sequentes (humerales) oblongae sunt, reliquae rotundatae et cicatrices marginales 4 posteriores et dorsales 6 continentes. (Cicatrix parva marginalis antica media nigricans quoque est, cicatrix parva utrinque inter maculas humeralem et illam geminatam sita sub-fusca, reliquae cicatrices nigerrimae). Venter cum *mamillis* rufescens, antice in medio obscurior.

Lg. corp. paullo plus 5; lg. et lat. cephaloth. circa 2, lat. front. circa 1 $^{1}/_{6}$; lg. abd. 4 $^{1}/_{4}$, lat. ej. paene 5 millim. Ped. I et II circa 4, III fere 3, IV paene 4 millim. longi; pat. + tib. IV paene 1 $^{1}/_{2}$ millim.

Exemplum singulum parvae et pulchrae hujus speciei in Nias ad Gunung Sitoli detexit Modigliani.

Gen. **Gasteracantha** (Sund.), 1833.

28. **G. brevispina** (Dol.).

Syn.: 1857. *Plectana brevispina* (Dol.), Bijdr., *cet.*, loc. cit., p. 423.

Specimina sat multa *G. brevispinae*, quae per totam Asiam meridionalem et magnam partem Australiae diffusa est, in Nias ad Gunung Sitoli, Lelemboli et Bawo Lowalani collegit Cel. Modigliani.

Gen. **Plectana** (Walck.), 1841.

29. **P. arcuata** (Fabr.).

Syn.: 1793. *Aranea arcuata*, Fabr., Ent. Syst., II, p. 425.

Multa exempla hujus araneae in Nias, ad Lelemboli, Fadoro et Bawo Lowalani a Modigliani collecta vidi. — *P. arcuata* per fere totam Indo-malesiam frequens occurrere videtur, etiam aliis locis Asiae meridionalis, e. gr. in ins. Taprobane (Ceylon), inventa.

Trib. CITIGRADAE.

Fam. LYCOSOIDAE.

Subfam. CTENINAE.

Gen. **Acanthoctenus**, Keys., 1877.

30. **A. variatus**, n., *cephalothorace nigro, fascia media longitudinali lata pallida testaceo- et albo-pubescenti notato, praeterea pube rubra et albicanti variato; pedibus nigris, testaceo-sub-annulatis, tarsis pallidis totis; tibiis anterioribus modo subter aculeatis,* 9 *paribus aculeorum ibi armatis, metatarsis anterioribus subter* 5 *paribus aculeorum munitis; abdomine pube albicanti supra et in lateribus vestito et maculis nigris rubro-marginatis sparso et variato, fasciaque longitudinali brevi satis angusta alba antice in dorso notato.* — ♀ jun. *Long. saltem* 9 $^3/_4$ *millim.*

FEMINA *jun.* — *Cephalothorax* saltem $^1/_4$ longior quam latior, non parum brevior quam tibia 4.[i] paris, et tibia 3.[ii] paris paullo longior, parte thoracica sat humili, parte cephalica eâ altiori; utrinque anterius modo leviter sinuatus est, lateribus partis thoracicae amplissime et fortiter (anterius levius) rotundatis, lateribus partis cephalicae rectis et brevissimis anteriora versus sensim fortiter angustatus, parte cephalica quoad libera est plus duplo latiore postice quam longiore; antice truncatus est, latitudine clypei circa $^2/_5$ latitudinis maximae cephalothoracis aequanti, postice fere aeque late atque antice truncatus et, in medio, paullo retusus. A latere visum dorsum cephalothoracis ante declivitatem posticam (praeruptam, modo superius convexam et reliquo dorso plus duplo breviorem) in parte thoracica modo postice convexum est, praeterea rectum et paullo proclive, in parte cephalica longiore spatio et secundum lineam paene rectam (modo antice paullo convexam) sensim sat fortiter assurgens, ita ut dorsum in angulum sursum fractum videatur. Facies praerupte proclivis, paene directa, est; a fronte visa non parum latior est infra quam supra, aeque alta ac lata supra, lateribus sat praerupte declivibus, supra modo leviter convexa, paene plana. Spatium inter marginem clypei et oculos seriei 1.[æ] horum oculorum diametro saltem dimidio majus est. Area *oculorum* paullo latior quam longior videtur. Oculi antici sive 1.[æ] seriei, oculis mediis seriei 2.[æ] sive mediae paene duplo minores, spatio $^1/_4$-$^1/_3$ diametri suae aequanti disjuncti sunt, ab oculis mediis seriei mediae spatio dimidiam diametrum suam fere aequanti separati. Series media non parum deorsum curvata est: linea recta medios eorum infra tangens, laterales supra tangit, non secat. Oculi medii hujus seriei inter se spatio distant, quod eorum diametro fere duplo minus est; oculi laterales ejusdem seriei, oblongi et mediis multis partibus minores, ab iis spatio diametrum suam breviorem saltem aequanti remoti sunt, ab oculis anticis vero spatio multo, saltem duplo, majore. Oculi postici, qui mediis seriei mediae non minores sed potius paullulo majores sunt, ab iis spatio sunt separati, quod eorum diametrum circiter aequat, inter se spatio diametro sua circa quadruplo majore disjuncti. Trapezium, quod

cum oculis mediis seriei mediae formant, saltem duplo latius est postice quam antice, et paullo longius quam latius antice; trapezium a mediis seriei mediae et anticis oculis formatum fere oculi maximi diametro latius est postice quam antice et paullo latius postice quam longius. *Sternum* paullulo latius quam longius, antice late truncatum.

Mandibulae directae, parum divaricantes, sub-cylindratae, apice intus late truncatae, fere triplo longiores quam latiores, patellas anticas longitudine, femora antica crassitie fere aequantes, in dorso modo leviter convexae, pilis longis sat dense conspersae et pubescentes; sulcus unguicularis antice, intus, 3, postice 5 dentibus est armatus. *Maxillae* paullo plus duplo longiores quam latiores, paene parallelae, labio duplo longiores, basi late et oblique truncatae, latere exteriore late et leviter sinuato, latere interiore paullo incurvo, apice extus rotundato, intus oblique et latissime truncato. *Labium* paene quadratum, lateribus versus apicem late truncatum paullo rotundatis. *Palpi* longi et graciles; pars patellaris saltem duplo longior quam latior est, pars tibialis circa quadruplo longior quam latior: pars tarsalis eam longitudine aequat, vix superat. *Pedes* graciles et longi, 4.i paris cephalothorace saltem 5 $^1/_2$ longiores. Metatarsi 1.i paris tarso fere triplo longiores sunt, metatarsi 4.i paris tarso quadruplo longiores. Unguiculi bini, aequaliter et fortiter curvati, dente singulo sat forti et pone eum 1-2 dentibus parvis instructi (ita saltem in pedibus 1.i paris). Aculeis crebris, plerisque appressis, armati sunt pedes. Femora, e. gr., 1.i paris saltem 8 aculeis praedita sunt; patellae (1.i paris fortasse exceptis) aculeum in utroque latere habent. Tibiae anteriores subter 8 paribus aculeorum longissimorum appressorum sunt instructae, praeter duobus aculeis brevioribus in apice; metatarsi saltem 5 paribus aculeorum appressorum etiam longiorum subter armati sunt: praeterea aculeis carere videntur tibiae et metatarsi anteriores. Tibiae posteriores, undique aculeatae, supra seriem aculeorum 4 ostendunt. *Abdomen* angustius ovatum. *Mamillae* superiores paullo angustiores et aeque fere longae ac (certe non longiores quam) mamillae inferiores; art. 1.s supe-

riorum et inferiorum brevis, saltem non longior quam latior.

Color. — *Cephalothorax* in fundo niger, fascia media subtestacea, praesertim in parte cephalica lata et antice, inter oculos posticos, sensim angustata, inter partes cephalicam et thoracicam vero sub-constricta, et in declivitate postica sensim angustato-acuminata notatus, quae pube sat crassa, in parte cephalica flaventi, in parte thoracica albâ, est vestita; praeterea pube rubra variatus est cephalothorax et pube rubra et albicanti conspersus, pube rubra in parte thoracica limbum fasciae mediae albae quasi formanti et impressiones cephalicas ad partem occupanti; area oculorum cum media parte clypei praesertim pube rubra minus dense vestita est, latera clypei et genae albo-cinerascenti-pubescentia; in medio inter oculos medios seriei mediae pili duo longi porrecti lutei conspiciuntur. *Sternum* nigrum, cinereo-testaceo-pubescens. *Mandibulae* fusco-testaceae, fascia media longitudinali lata nigra secundum dorsum, aliaque in latere exteriore, postice. *Maxillae* et *labium* fusco-testacea. *Palpi* nigri, sub-luteo-annulati, parte tarsali tota sub-lutea. *Pedes* nigri, testaceo-annulati, tarsis totis luteo-testaceis; annuli, qui angusti et inaequales vel in maculas divulsi sunt et plus minus bene expressi, in femoribus et metatarsis terni videntur, in tibiis modo bini. Pube flaventi et ad partem rubra et alba quoque vestiti fuisse videntur pedes, parceque pallido-pilosi; aculei fusci sunt. *Abdomen* — quod in fundo sordide cinerascens videtur, supra et in lateribus nigro-variatum, et fascia brevi longitudinali sat angusta pallida antice in dorso notatum — pube densa tectum est, et ita supra cinereo-album, maculis inaequalibus parvis nigris rubro-limbatis sat dense sparsum et variatum, remanenti fascia illa brevi antica magis albo-pubescenti; saltem posterius in dorso et in lateribus pilos longos erectos luteo-flavos ostendit, qui fasciculos vel penicillos hic illic formavisse videntur. Subter testaceo-fuligineum est abdomen, pube olivaceo- vel sordide testacea vestitum. *Mamillae* superiores luteae, macula nigra supra in art. 1.° notatae; mamillae inferiores nigrae.

Lg. corp. $9\,{}^3/_4$; lg. cephaloth. $4\,{}^2/_3$, lat. ej. $3\,{}^3/_4$, lat. clyp. paullo plus $1\,{}^1/_2$; lg. abd. 5, lat. ej. $2\,{}^4/_5$ millim. Ped. I $21\,{}^1/_2$,

II 19 1/2, III 16 3/4, IV 26 1/2 millim. longi; pat. + tib. IV 8, metat. + tars. IV paene 10 1/2 millim.

Feminam singulam nondum adultam in Nias ad Bawo Lowalani invenit Modigliani. Generis *Acanthocteni* mihi videtur haec species, etsi mamillae ejus superiores inferioribus non longiores sunt. — (Cribello et calamistro carent haec aliaeque species Indo-malajanae generis *Acanthocteni* mihi notae).

Subfam. **LYCOSINAE**.

Gen. **Lycosa** (Latr.), 1804.

31. **L. pusiola**, Thor.

Syn.: 189.. *Lycosa pusiola*, Thor., Spindlar från Nikobarerna, *cet.* (1). *in* K. Svenska Vet.-Akad. Handl., XXIV.

Cel. Modigliani marem et feminam hujus speciei, quae in Sumatra vulgaris videtur, ad Padang invenit, aliamque feminam ad Sibogam; tertiam feminam in ins. Nias, ad Lelemboli, cepit.

Fam. OXYOPOIDAE.

Gen. **Oxyopes**, Latr., 1804.

32. **O. Birmanicus**, Thor.

Syn.: 1887. *Oxyopes Birmanicus*, Thor. [Viaggio di L. Fea, *cet.*, II], Primo Saggio sui Ragni Birmani, loc. cit., p. 325.

Exempla paucissima adulta (inter ea feminam singulam), et sat multa juniora, quae ejusdem speciei videntur, in Nias (Gunung Sitoli, Lelemboli, Bawo Lowalani) collegit Modigliani.

O. Birmanicus et *O. lineatipes* (C. L. Koch) adeo similes sunt, ut satis sit difficile, notas (attamen certissimas), quibus inter se differant, describere: vix nisi partibus genitalibus paullo diversis distingui possunt. Ad *mares* quod attinet, pars tibialis palporum in utraque specie a latere visa subter adeo dilatata est, ut quasi

(1) Hoc opusculum, Reg. Academiae Scient. Sveciae nuper traditum, manus typographorum adhuc non reliquit.

laminam deorsum directam, apicem latum et in medio paullulo incisum vel inaequalem versus (angulis rotundatis) angustatam formare dici possit, ita praesertim in *O. Birmanico*, quum contra in *O. lineatipede* pars tibialis, eodem modo visa, a basi ad apicem latissime rotundato-truncatum sensim fortiter dilatata dici quoque potest. Ad apicem lateris exterioris pars tibialis impressionem longam profundam deorsum directam pallidam ostendit, quae quasi labiis duabus nigris includitur: in *O. lineatipede* haec impressio angustior est, sulcum latum vel aream sub-lanceolatam formans, quae area supra et infra *clausa* est; in *O. Birmanico* contra haec area latior est, sub-ovata, et infra, magis postice, *aperta;* callus vel lamina nigra, qua postice limitatur, in *O. Birmanico* in margine antico *dentem minutum* ostendit, qui visibilis est etiam quum pars tibialis desuperne inspicitur, et tum e medio lateris hujus partis exire videtur, foras directus: *O. lineatipes* contra hoc denticulo *caret*. — In *femina*, quam *O. lineatipedis* credo, callus procurvus vulvae in medio dentem parvum anteriora versus directum format, quo dente plane caret vulva *O. Birmanici*. Conf. descriptionem hujus, loc. cit.

33. **O. Javanus**, Thor.

Syn.: 1886. *Oxyopes lineatipes*, Sim., Matér. pour servir à la faune arachn. de l'Asie mérid. III. Arachn. recueillis . . . dans la presqu'ile de Malacca, *cet.*, *in* Bull. de la Soc. Zool. de France, X (1885), p. (6).
1887. » *Javanus*, Thor. [Viaggio di L. Fea, *cet.*, II], Primo Saggio sui Ragni Birmani, loc. cit., p. 329.

Marem adultum (et exempla pauca juniora, quae hujus speciei crediderim) in Sumatra (Siboga) cepit Modigliani. — Ut *O. Birmanicus*, haec species in Indo-malesia et in Birmania sat frequens invenitur.

34. **O. auratus**, n., *cephalothorace luteo, squamulis tenuibus aureis vestito, et lineis duabus nigris ab oculis* 1.[i] *paris paene ad apicem dorsi mandibularum pertinentibus notato; pedibus subtestaceis, femoribus magis luteis et linea longitudinali nigra inferius notatis; abdomine minus longo, in fundo sordide testaceo et squa-*

mulis aureis vestito, ventre fascia longitudinali lata nigra notato; palpis brevioribus, partibus patellari et tibiali saltem aeque latis ac longis, parte tibiali a latere visa non parum latiore quam longiore, a basi ad apicem paullo dilatata et ad apicem lateris exterioris, inferius, litura nigra ⊂-formi notata; parte tarsali reliquo palpo circa quadruplo latiore, latere interiore omnium fortissime rotundato, latere exteriore recto et in apicem reliqua parte tarsali plus duplo breviorem excurrenti. — ♂ ad. *Long. circa* 5 *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* forma ordinaria est, non altus, tibiam + $^1/_3$ patellae 4.ⁱ paris longitudine fere aequans, vix dimidio longior quam latior, lateribus in parte cephalica parum, praeterea sat fortiter rotundatis anteriora versus modice angustatus, fronte dimidiam partem thoracicam latitudine parum superanti, oculis 2.ⁱ et 4.ⁱ parium (illis praesertim) prominulis; a latere visum dorsum ipsum anteriora versus sensim paullo assurgit, in medio parum impressus; area oculorum 6 posticorum sat praerupte proclivis est, vix convexa, facies sub his oculis valde praerupte proclivis, paene directa. Impressiones cephalicae vix ullae dicendae; sulcus ordinarius centralis sat longus et tenuis. Clypei altitudo longitudine areae oculorum paullo minor est, longitudinem mandibularum aequans. Area *oculorum* paullo latior quam longior. Oculi 1.ⁱ paris spatio diametro oculi circa dimidio majore sunt disjuncti, ab oculis 2.ⁱ paris spatio hac diametro evidenter minore separati. Oculi 2.ⁱ paris, oculis 4 posterioribus paene aequalibus non parum (non dimidio tamen) majores, spatio sunt sejuncti, quod eorum diametrum paene aequat (non superat) et quod paullo minus est quam longitudo seriei ab oculis 1.ⁱ paris formatae; ab oculis 3.ⁱⁱ paris paullo longius (spatio diametrum suam saltem aequanti) quam inter se distant. Oculi 3.ⁱⁱ paris etiam non parum longius, spatio diametro sua plus dimidio (vix vero duplo) majore, ab oculis paris 4.ⁱ distant: hi oculi spatio minore, diametro sua non parum (sed non dimidio) majore separati sunt. Area ab oculis 2.ⁱ et 4.ⁱ parium formata rectangula est, circa dimidio longior quam latior. *Sternum* parum longius quam latius, antice latissime truncatum.

Mandibulae breviores, modo duplo longiores quam latiores basi,

ubi femoribus anticis paullo latiores sunt. *Labium* vix ultra dimidio longius quam latius, quum basin versus, tum apicem truncatum versus (hic brevi spatio) sensim paullo angustatum. *Palpi* sat breves, clava femoribus anticis duplo latiore. Pars patellaris paullo latior quam longior est, pars tibialis eâ (desuper visa) vix vel parum longior et latior, latere exteriore apice omnium latissime et oblique truncata, latere interiore rotundato; a latere visa haec pars fere dimidio latior est apice quam longior, a basi ad apicem sensim paullo dilatata: ad apicem lateris exterioris, infra, lituram parvam nigram fere C-formem ostendit (quae impressionem forsitan limitat), dentibus conspicuis apice carens. Pars tarsalis reliquum palpum longitudine circiter aequat, eo fere quadruplo latior; extus in apicem sub-cylindratum, angustum, reliqua parte tarsali saltem duplo breviorem excurrit. Sine hoc apice pars tarsalis aeque lata ac longa est, latere exteriore recto, latere interiore omnium fortissime rotundato: basi anguste truncata est, angulo exteriore baseos tuberculum retro directum formanti, quod certo modo visum dentis deorsum directi speciem prae se fert. Bulbus procursum appressum pallidum anteriora versus directum subter habet, cujus apex deorsum curvatus sat crassus (non gracillimus) est. *Pedes* mediocres, aculeis longis sat crebris armati. *Abdomen* circa duplo et dimidio longius quam latius, paene a basi, ubi in medio paullo retusum videtur, usque ad anum lateribus parum rotundatis sensim angustatum.

Color. — *Cephalothorax* cum mandibulis rufo-testaceus sive luteus est, lineis duabus nigris ab oculis 1.^i paris per clypeum et mandibulas paene ad apicem earum ductis, ut in prioribus, notatus, maculis ordinariis ocularibus nigris quoque, praeterea immaculatus. Inter oculos squamulis aureis tectus est, etiam praeterea squamulis tenuibus aureis (minus densis?) saltem ad magnam partem vestitus. *Sternum* pallide testaceum; *maxillae* et *labium* magis lutea. *Palpi* luteo-testacei, clava, apice sat longo testaceo excepto, picea. *Pedes* olivaceo-testacei, femoribus magis luteis; femora lineam longitudinalem nigram subter, extus, ostendunt; praeterea pedes unicolores sunt, aculeis nigris armati. *Abdomen* in fundo sordide vel sub-olivaceo-testaceum videtur,

subter fascia media lata nigricanti a rima genitali ad anum ducta notatum; summus apex ventris et laterum niger vel paullo nigro-maculatus est. Praeterea pictura distincta caret abdomen, quod supra et in lateribus squamulis aureis, cupreum et virescentem colorem sentientibus (in nostro exemplo ad magnam partem detritis), vestitum est, et etiam in ventre ejusmodi squamulis munitum. *Mamillae* sub-testaceae.

Lg. corp. 5; lg. cephaloth. paene $2\,^1/_2$, lat. ej. circa $1\,^4/_5$, lat. front. paene 1; lg. abd. $2\,^1/_2$, lat. ej. paullo plus 1 millim. Ped. I $10\,^3/_4$, II $9\,^1/_2$, III 8, IV $9\,^3/_4$ millim. longi; pat. + tib. IV $2\,^3/_4$ millim.

In Sumatra, ad Sibogam, marem singulum hujus speciei invenit Modigliani.

35. **O. pupulus**, n., *cephalothorace luteo-testaceo, pube tenui flaventi vestito et interdum pube rubra quoque munito, quae saltem lineas duas longitudinales secundum medium dorsi format; spatiis, quibus oculi 2.ⁱ paris ab oculis 1.ⁱ paris sejuncti sunt, horum oculorum diametrum saltem aequantibus; partibus oris, palpis et pedibus flavo- vel luteo-testaceis, pedibus lineis nigris* carentibus; *abdomine in fundo testaceo-albicanti, pube flaventi superius vestito et pube ferruginea vel rubra quoque munita, quae maculas plerumque in series tres longitudinales ordinatas et praesertim posterius in dorso et in lateribus distinctas format: ventre pallido postice fascia longitudinali brevi nigra notato.* — ♀ ad. *Long. circa* 6 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* sat humilis, non parum brevior quam tibia 4.[i] paris, circa $^1/_3$ longior quam latior, lateribus posterius fortiter, anterius parum rotundatis anteriora versus sat fortiter angustatus, frontis latitudine dimidiam partis thoracicae latitudinem vix vel non aequanti, oculis 2.[i] et 3.[ii] parium parum prominulis. Impressiones cephalicae debiles sed evidentes sunt, sulcus ordinarius centralis tenuis, sat longus. A latere visum dorsum ipsum in parte thoracica libratum et modo postice convexum est, in parte cephalica anteriora versus paullo assurgens et vix vel parum convexum; area oculorum sex posteriorum sat leviter proclivis et recta est, facies praeterea non multo praerupte

proclivis. Clypei altitudo longitudine areae oculorum paene duplo minor est, longitudine mandibularum multo minor quoque. Area *oculorum* vix vel parum latior quam longior est. Oculi 1.[i] paris spatio diametro sua paullo majore disjuncti sunt, ab oculis 2.[i] paris paene aeque longe, et spatio hanc diametrum saltem aequanti, separati. Oculi 2.[i] paris, qui oculis 4 posterioribus modo paullo majores sunt, spatio diametro sua paullo majore sunt sejuncti, et non longius ab oculis 3.[ii] paris quam inter se remoti; oculi 3.[ii] paris paullo longius ab oculis 4.[i] quam ab oculis 2.[i] paris distant, spatio oculi diametro paene duplo majore ab oculis illis remoti; spatium, quo separati sunt oculi 4.[i] paris, paene aeque magnum est ac spatium inter eos et oculos 3.[ii] paris. Area, quam occupant oculi 2.[i] et 4.[i] parium, paullulo latior postice quam antice mihi videtur, et fere dimidio longior quam latior est. *Sternum* paullo longius quam latius.

Mandibulae duplo longiores quam latiores basi, ubi femora antica latitudine aequant. *Labium* plus dimidio longius quam latius videtur, lateribus posterius parallelis, (posteriora versus igitur non angustatum), brevi spatio apicem versus sensim paullo angustatum. *Palpi* mediocres; pars patellaris circa dimidio longior quam latior est, pars tibialis circa triplo longior quam latior; pars tarsalis duas priores conjunctas longitudine saltem aequat, iis non parum angustior. *Pedes* mediocri longitudine, sat graciles; aculeis longis crebris (in tibiis 1.[i] paris 9) armati sunt. *Abdomen* lateribus leviter rotundatis posteriora versus sensim angustatum, saltem triplo longius quam latius, sub-lanceolatum. *Vulva* sat magna, nigra, pallido-pilosa: constat ex callo procurvo nigro, ante quem tubercula duo humilia oblonga et, ante ea, maculas duas fuscas video.

Color. — *Cephalothorax* in fundo luteo-flavus est, pube tenui flava, ut videtur minus densa, vestitus, et interdum pube rubra quoque munitus, quae lineas duas longitudinales parallelas, ab oculis 4.[i] paris retro ductas saltem format; inter oculos dense flavo-pubescens est. Clypeus supra medium marginis setas paucas porrectas nigras ostendit; supra oculos 2.[i] paris setae duae longae porrectae pallidae conspiciuntur. *Sternum* et *partes oris* luteo-

testacea, pallido-pubescentia et -pilosa. *Palpi* flavo-testacei, setis ad partem nigris, ad partem (praesertim in parte tarsali) albicantibus sparsi; pars femoralis, ut femora pedum, subter pilis paucioribus valde longis et directis pallidis munita est. *Pedes* flavo- vel luteo-testacei, aculeis ad partem nigris, ad partem fuscis, summa basi nigris. *Abdomen* in fundo ad maximam partem testaceo-albicans, fascia longitudinali sub-hastata obscuriore anterius, vix vel non ad medium dorsi pertinenti; superius squamulis tenuibus, ad partem flaventibus, ad partem rubris vel ferrugineis est vestitum, pube rubra vel ferruginea seriem longitudinalem macularum per totum dorsum plerumque extensam formanti (quae maculae ad partem Λ-formes esse possunt, tum maculam albam includentes); etiam in utroque latere abdominis, praesertim posterius, serie macularum paucarum rubrarum vel ferruginearum notatum est abdomen. Latera inferius albo-pubescentia sunt; venter cinerascens vel testaceus fasciam longitudinalem brevem nigram ante *mamillas* testaceas ostendit.

Lg. corp. 6; lg. cephaloth. 2, lat. ej. 1 $^1/_2$, lat. front. paene $^3/_4$; lg. abd. 4, lat. ej. circa 1 $^1/_6$ millim. Ped. I paullo plus 10, II paene 9 $^1/_2$, III 6 $^3/_4$, IV 9 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. IV 2 $^4/_5$ millim.

In Nias, ad Lelemboli, duas feminas hujus speciei (quae forma labii transitum ad *Tapponiam*, Sim., formare videtur) invenit Cel. Modigliani.

Tribus **LATERIGRADAE.**

Fam. HETEROPODOIDAE.

Gen. **Spariolenus**, Sim., 1880.

36. **S. taeniatus**, n., *cephalothorace cum abdomine supra fusco et fascia media longitudinali pallida dense albo-pubescenti ornato, hac fascia in abdomine nigro-limbata; pedibus fusco-testaceis, praesertim in femoribus dense nigro-maculatis et -punctatis.* — ♀ jun. *Long. saltem* 12 $^1/_3$ *millim.*

Femina *jun.* — *Cephalothorax* modice altus est, circa $^1/_7$ lon-

gior quam latior, tibiam 3.ii paris longitudine aequans, inverse cordiformi-ovatus fere, lateribus fortiter et ample rotundatis praesertim anteriora versus angustatus, utrinque antice modo leviter sinuatus, parte cephalica quoad libera est omnium brevissima et lateribus rectis anteriora versus sensim angustata; frons plane truncata, dimidiam partem thoracicam latitudine aequans. Dorsum satis angustum; a latere visum ante declivitatem posticam brevem et paullo convexam paene rectum et libratum est, modo fere in medio paullo depressum et ante hanc impressionem (in parte cephalica igitur) sensim paullulo assurgens; area oculorum mediorum modice proclivis est, facies sub oculis mediis anticis directa. A fronte visa facies paene rectangula est, supra modo leviter convexa, aeque lata supra et infra, vix dimidio latior quam altior. *Oculi* laterales medios oculos (quorum postici anticis circa duplo sunt majores) magnitudine multo superant: laterales postici mediis posticis paene duplo majores sunt, laterales antici (lateralibus posticis paullo majores) mediis anticis fere triplo sunt majores. Oculi medii aream formant, quae paullo longior est quam latior postice, et multo latior postice quam antice. Series oculorum postica, sat leviter recurva, saltem tripla oculi lateralis diametro longior est quam series antica, quae desuper visa recta est, a fronte vero visa fortiter deorsum curvata: linea recta oculos laterales hujus seriei supra tangens medios fere in centro secat. Spatium, quo laterales antici a margine clypei distant, eorum diametro saltem dimidio est majus; spatium inter oculos medios anticos et marginem clypei etiam, saltem dimidio, majus est, longitudinem areae oculorum mediorum multo superans. Spatium inter oculos binos laterales eorum diametro paene duplo est majus, et fere dimidio majus quam spatia, quibus oculi medii antici a mediis posticis distant. Spatium, quo oculi medii antici sejuncti sunt, eorum diametro paullo est majus: a lateralibus anticis spatio dimidiam hanc diametrum vix vel non aequanti sunt separati. Spatium inter oculos medios posticos eorum diametrum paene aequat: a lateribus posticis paene duplo longius quam inter se distant hi oculi. *Sternum* planum, latius quam longius, antice latissime truncatum, in medio postice sub-acuminatum.

Mandibulae robustae sunt, patellis anticis non parum longiores et femora antica latitudine saltem aequantes, fere duplo et dimidio longiores quam latiores, paene cylindratae, apice oblique rotundato-truncatae, in dorso modice convexae; sulcus unguicularis postice serie dentium 4 armatus est, antice ciliatus et, intus, 2 dentibus munitus. *Maxillae* parallelae, paene duplo longiores quam latiores, labio paene triplo longiores, in medio leviter et oblique impressae. *Labium* vix vel parum longius quam latius, sub-quadratum, apice leviter rotundatum. *Palporum* unguiculus, cujus apex sat brevis et gracilis est, dentibus 5 acuminatis longis et directis est pectinatus. *Pedes* sat longi, modice robusti; 2.^{i} paris reliquis evidenter longiores sunt, 1.^{i} et 4.^{i} parium eadem fere longitudine; tibia cum patella 4.^{i} paris brevior est quam metatarsus cum tarso: in reliquis pedibus tibia cum patella longior est quam, vel (3.^{ii} paris) aeque longa ac metatarsus cum tarso. Et palpi et pedes aculeis longis sat crebris armati sunt: in femoribus e. gr. 1.^{i} paris 10 aculeos video; patellae anteriores aculeum parvum postice habent, patellae posteriores aculeum ejusmodi et antice et postice. Tibiae et metatarsi anteriores subter aculeos longissimos sat graciles 2. 2. habent, antice et postice 1. 1. (metatarsi praeterea apice 2 vel 4 minutos). Tibiae 4.^{i} paris, aculeo supra carentes, subter 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeos habent. Omnes tarsi toti, et metatarsi 6 anteriores, basi excepta, scopula sat densa sed non lata praediti sunt. Unguiculi longi et graciles, in dorso recti, apice sat fortiter deorsum flexo; dentibus multis (in pedibus 1.^{i} paris circa 9 et 12) densis, non longis, gradatim longitudine decrescentibus, directis armati sunt; pili fasciculorum unguicularium densi, longi et apice incrassati. *Abdomen* paene triplo longius quam latius, cylindrato-lanceolatum, a latere visum antice truncatum.

Color. — *Cephalothorax* sub-fuscus, pube appressa minus densa nigra vestitus, summo margine laterali nigro; secundum medium fasciam longitudinalem pallidam, pube densa alba tectam, tibias anticas latitudine circiter aequantem ostendit, quae antice inter oculos producta est et hic sensim angustato-acuminata; etiam

inter oculos anticos albicanti-pubescens est cephalothorax, area oculorum praeterea magis olivaceo-pubescenti. *Sternum* cum coxis subter, *maxillis* et *labio* pallide testaceum, pallido-pilosum. *Mandibulae* testaceae, fascia longitudinali latissima sub-obliqua fusca in dorso; pilis nigris longis sparsae sunt. *Palpi* toti fusco-testacei, nigro-pilosi et -aculeati. *Pedes* quoque fusco-testacei, nigro-pilosi et aculeis nigris armati; praesertim in femoribus anterioribus, et praesertim subter, maculis parvis nigris dense conspersi sunt, et aculei subter in tibiis anterioribus maculis nigris sunt impositi. *Abdomen* supra magis intus nigro-fuscum et dense fusco-pubescens est, fascia media longitudinali satis aequali pallida, dense albo-pubescenti et anguste nigro-limbata ornatum, quae a basi dorsi paene usque ad anum est extensa, posteriora versus sensim modo parum angustata, paullulo latior quam fascia cephalothoracis. Latera abdominis et venter cinerascenti-testacea sunt. *Mamillae* superiores piceae, reliquae sub-testaceae.

♀ *jun.* — Lg. corp. 12 $^1/_3$; lg. cephaloth. 4 $^1/_3$, lat. ej. 3 $^3/_4$, lat. clyp. paene 2; lg. abd. 8, lat. ej. 3 millim. Ped. I 21 $^3/_4$, II 23, III 17, IV circa 21 $^2/_4$ millim. longi; pat. + tib. IV paene 7, metat. + tars. IV 8 millim.

Feminas duas juniores in ins. Nias cepit Modigliani, alteram ad Hili Zabobo, alteram ad Bawo Lowalani.

Gen. **Heteropoda** (Latr.), 1804.

37. **H. venatoria** (Linn.).

Syn.: 1758. *Aranea venatoria*, Linn., Syst. Nat., Ed. 10, I, II, p. 1035.

In ins. Nias feminam adultam ad Gunung Sitoli, aliam vero cum duabus junioribus ad Hili Zabobo invenit Cel. Modigliani; etiam ad Lelemboli feminam juniorem cepit. — *H. venatoria* aranea ēst fere in omnibus partibus calidioribus orbis terrarum vitam degens.

Hanc speciem non parum variare, omnibus notum est. Pedes 1.^{i} paris in femina non semper longiores quam 4.^{i} paris pedes esse, alio loco (Primo Saggio sui Ragni Birmani, p. 237) monui;

in Stud. cet., III, p. 274 et 275, varietates duas, vulva paullo aliter formata ab exemplis ordinariis sive forma principali differentes, adumbravi. Armatura pedum quoque paullo variat: in ♂ patellae omnes saltem saepissime aculeum utrinque habent, et aculei supra in tibiis anterioribus 1. 1. 1., in posterioribus tibiis 1. 1. sunt; interdum vero modo 1 aculeo supra armatae sunt tibiae posteriores maris. In femina patellae interdum aculeum in utroque latere habent, interdum modo 1 aculeum, aut in interiore, aut (saepius) in exteriore latere situm. Tibiae in femina plerumque aculeis supra carent; interdum vero una alterave tibiarum posteriorum in hoc sexu aculeo supra praedita est. Etiam in uno eodemque exemplo pes dexter alio modo ac pes sinister ejusdem paris aculeatus esse potest. Palporum longitudo in mare paullo variat; saepe pars patellaris dimidio longior est quam latior et pars tibialis ea dimidio longior, circa duplo longior quam latior apice, cum lamina ejus: haec lamina desuper visa in margine antico duos dentes porrectos ostendit, quorum saltem interior, exteriore paullo major, foras curvatus est.

38. **H. Modiglianii**, n., *cephalothorace in fundo obscure fusco, nigro-pubescenti, vitta transversa flava prope marginem posticum ornato, impressionibus cephalicis* V *magnum flavum, saltem in ♂ distinctissimum, formantibus, marginibus lateralibus partis thoracicae in ♂ flavis quoque; sterno cum coxis subter pallidiore; mandibulis nigris, aequaliter pubescentibus et pilosis; pedibus obscure fuscis, parum evidenter nigro-annulatis, pube obscure olivacea tectis, intermixta (saltem in mare) pube flava, praesertim in femoribus et in coxis, supra; abdomine nigricanti, supra obscure olivaceo-pubescenti et pilis pallidis sparso, punctisque nigris et flaventibus plus minus evidenter consperso; latere exteriore partis tibialis palporum maris apice in laminam convexam sensim dilatato, quae desuper visa anteriora versus et foras directa est, et quae apice intus procursum longum, sat fortem, aequalis latitudinis fere, apice truncatum, deorsum curvatum emittit; tuberculo vulvae in medio in formam semi-circuli profunde excavato.* — ♂ ♀ ad. *Long.* ♂ *circa* 21, ♀ 25-31 *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* paullo altior quam in *H. venatoria*, praeterea ejusdem formae; paullo longior quam latior est, tibia 4.[i] paris circa dimidio brevior, in medio postice modo levissime emarginatus; frons leviter rotundata, parte thoracica circiter duplo et dimidio angustior. Pube densa appressa vestitus est cephalothorax, antice pilis et setis brevibus sub-erectis sparsus. Spatium inter marginem clypei et oculos laterales anticos eorum diametro circa dimidio majus est. *Oculorum* series parallelae, postica paullo plus dupla oculi lateralis diametro longior quam antica, desuper visa leviter recurva; series antica a fronte visa leviter deorsum curvata est. Oculi bini laterales fere eadem magnitudine sunt, et oculis mediis sub-aequalibus (posticis anticos magnitudine parum superantibus) duplo majores; spatio inter se sunt remoti, quod eorum diametrum aequat, et quod saltem aeque magnum est ac spatia, quibus medii antici a mediis posticis distant. Oculi medii aream occupant paullo longiorem quam latiorem postice, et paullo latiorem postice quam antice. Oculi medii antici spatio dimidia diametro oculi paullo minore sunt sejuncti, a lateralibus anticis spatiis etiam plus duplo minoribus, modo minutis igitur, separati. Oculi medii postici spatio diametrum suam aequanti sunt disjuncti; a lateralibus posticis circa dimidio longius quam inter se distant.

Mandibulae paullo plus duplo longiores quam latiores, apice intus oblique truncatae et pilis longis ciliatae, in dorso versus basin leviter convexae, pube minus densa satis aequaliter vestitae et pilis brevibus aliisque paucioribus longissimis patentibus sparsae. Sulcus unguicularis in margine postico dentibus 4 sat fortibus armatus est; margo ejus anticus ciliatus in angulo interiore dentibus tribus est munitus, medio eorum sat forti, reliquis parvis. *Labium* paullo longius quam latius, lateribus parallelis, apice rotundato-truncato. *Palporum* pars patellaris circa dimidio longior est quam latior; pars tibialis parte patellari paene dimidio longior est, paene duplo longior quam latior (cum lamina apicali); latus ejus exterius apice (cum ipso apice) in laminam convexam crassam deorsum et anteriora versus directam est dilatata, quae a latere visa late et valde oblique truncata est, desuper visa

anteriora versus et foras directa, apice extus rotundato, intus oblique truncato: ex apice intus procursum sat longum et fortem, lateribus paene parallelis, aequaliter deorsum et paullo foras fortiter curvatum, apice truncatum emittit. Pars tarsalis priores duas partes conjunctas longitudine aequat, apice partis tibialis non parum latior, ad formam ut in *H. venatoria;* bulbus, qui postice in spinam nigram basi crassissimam, primum intus, dein anteriora versus curvatam et directam continuatur, ad apicem intus in procursum longum et sat latum, sub-tortuosum, luteum exit, cujus apex ut stilus latus acuminatus anteriora versus et paullo deorsum et foras directus ante bulbum eminet. *Pedes* longi et graciles; 2.[i] paris pedes plus tarso suo longiores sunt quam pedes 1.[i] paris, qui pedibus 4.[i] paris fere tarso suo sunt longiores. Fere ut in *H. venatoria*, ♂, aculeati videntur pedes: patellae omnes aculeo utrinque praeditae sunt, tibiae anteriores supra 1. 1. aculeos ostendunt; posteriores tibiae supra modo 1 aculeum, magis versus apicem situm habent. Subter tibiae anteriores aculeis 2. 2. 2. 2., antice 1, postice 1 aculeo armatae sunt (vel, si mavis, 2. 2. 2. subter, 1. 1. antice et postice). Omnes tarsi et metatarsi scopulis satis densis et angustis secundum totam longitudinem muniti sunt; metatarsi 2.[i] paris in lateribus pilis longioribus, quam quibus pedes praeterea, sunt vestiti. *Abdomen* circa duplo longius quam latius, cylindrato-ovatum fere, antice sub-truncatum, postice lateribus rotundatis sub-acuminato-angustatum.

Color. — *Cephalothorax* in fundo obscure fuscus est, pube densa nigra ad maximam partem vestitus, et hac pictura, e pube formata, ornatus: paullo ante marginem posticum vittam transversam longam sat latam flavam ostendit, cujus extremitates anteriora versus curvatae in fasciam angustam marginalem flavam, qua utrinque limbata est pars thoracica, transeunt; impressiones cephalicae V magnum flavum formant, antice cum fasciis illis marginalibus conjunctum. In parte cephalica vestigia lineae mediae longitudinalis flavae video, et etiam circum aream oculorum hic illic vestigia pubescentiae flaventis: clypeus tamen vitta transversa flava distincta caret, modo macula parva flava in medio notatus, et utrinque paullo flaventi-pubescens. *Sternum*

cum coxis et basi palporum subter testaceo-fuscum. *Mandibulae* nigro-piceae, subter pallidiores, nigricanti-pilosae et nigro-olivaceo-pubescentes, apice rufescenti-ciliatae. *Maxillae* et *labium* pallide picea. *Palpi* nigricanti-fusci, parte femorali basi late pallidiore, nigro-olivaceo-pubescentes. *Pedes* quoque nigricanti-fusci, subter versus basin pallidiores, vix evidenter nigro-annulati, femoribus tamen apice supra magis nigris: pubescentia, qua supra vestita sunt, lineas longitudinales alternantes nigras et flavas magis versus basin eorum format; coxae supra macula flava notatae sunt. Etiam in reliquis internodiis, supra, praesertim in metatarsis, pubi et pilis obscure olivaceis pubescentia flava immixta est. Scopulae sordide vel cinerascenti-olivaceae quoque. *Abdomen* nigricans est, pube nigra et sub-olivacea supra vestitum, pilisque pallidis sparsum; vestigia fasciae vel lineae mediae longitudinalis abbreviatae pallidioris antice ostendit, ut et punctorum nigrorum et flaventium hic illic sparsorum, quae fortasse in lineas paucas obliquas utrinque in dorso disposita dici possunt. Venter crassius et sordide olivaceo-pubescens est. *Mamillae* sub-fuscae; superiores mamillae maculam oblongam nigram supra, extus, ostendunt.

Femina non multum a mare differt. *Cephalothorax* ejus non parum longior est quam latior; paullo altior et fortius convexus quam in altero sexu est, non multo (circa $^1/_7$) brevior quam tibia 4.[i] paris; frontis latitudo dimidiam cephalothoracis latitudinem fere aequat. Spatia inter oculos paullo majora sunt quam in mare; spatium inter oculos medios anticos, e. gr., dimidiam eorum diametrum aequat. *Mandibulae* paullo plus duplo longiores quam latiores, patellas 3.[ii] paris longitudine aequantes, femoribus 1.[i] paris parum angustiores, in dorso versus basin fortiter convexae, obsolete transversim striatae, nitidae, pube minus densa sub-olivacea vestitae et pilis brevioribus, intermixtis longis, sparsae. *Pedes* non parum robustiores et breviores sunt quam in mare; pedes 2.[i] paris cephalothorace paene 5.plo longiores sunt. Patellae anteriores modo in latere postico aculeum habent, patellae posteriores aculeum utrinque; tibiae anteriores aculeis supra plane carent, posteriores tibiae aculeum supra versus apicem habent — an ita semper? (Conf. quae p. 48 de armatura pedum

in *H. venatoria* dixi). Praeterea tibiae ut in mare aculeatae sunt. Metatarsi 2.[i] paris non longius quam reliqui metatarsi pilosi sunt. Scopulae ut in mare angustae. *Abdomen* ante partum paullo plus dimidio longius quam latius, lateribus aequaliter rotundatis anteriora et posteriora versus aequaliter angustatum et elliptico-ovatum fere, post partum longius, antice sub-truncatum, lateribus anterius paene parallelis. Area *vulvae* cornea nigra postice ut in *H. venatoria* in tuberculum sub-transversum sed humile elevata est: hoc tuberculum in medio ad longitudinem ita excavatum est, ut ab ano visum in medio in formam semi-circuli profunde emarginatum sive excisum videatur; fundus hujus excavationis foveam magnam rotundatam postice declivem format, cujus margo anticus sub-elevatus est et ut septum humile latum nitidum per partem anteriorem areae vulvae (aream magnam transversam leviter impressam hic quasi formantem) anteriora versus productus.

Color feminae parum a maris colore differt. *Cephalothorax* ut in eo in fundo obscure fuscus est et pube nigra ad maximam partem vestitus; vitta transversa flava distinctissima sed satis angusta postice est ornatus, pictura flava praeterea multo minus distincta quam in mare: pars thoracica margine flavo caret, et V illud flavum ab impressionibus cephalicis formatum parum evidens est; sulci bini radiantes partis thoracicae contra paullo flaventi- vel albo-pubescentes interdum videntur. Clypeus vitta flava transversa plane caret. *Sternum* et *partes oris* ut in mare ad colorem sunt, *mandibulae* in dorso pilis nigris sat dense sparsae, parcius obscure olivaceo-pubescentes. *Palpi* et *pedes* ut in mare quoque, excepto quod femora superius vestigia annulorum ternorum nigrorum ostendunt, et quod paene tota pube obscure olivacea et nigricanti aequaliter vestita sunt, modo vestigiis lineae longitudinalis mediae flavae: coxae tamen maculam flavam satis distinctam habent. *Abdomen* ut in mare, excepto quod venter interdum fascias duas longitudinales paullo pallidiores, antice divaricantes ostendit, quae sua quaeque linea tenui nigricanti saltem extus limitantur. *Mamillae* superiores aut, ut reliquae, sub-fuscae totae sunt, aut extus nigrae.

♂. — Lg. corp. 21; lg. cephaloth. paullo plus 10, lat. ej.

$9\,{}^1/_2$, lat. clyp. 4; lg. abd. 11, lat. ej. $5\,{}^1/_2$ millim. Palpi 18 millim. longi. Ped. I $60\,{}^1/_2$ (fem. $15\,{}^1/_2$, pat. $5\,{}^1/_4$, tib. $16\,{}^1/_2$, metat. $17\,{}^1/_2$, tars. 5), II $69\,{}^1/_2$, III 52, IV 56 (pat. + tib. $19\,{}^1/_4$) millim. longi.

♀. — Lg. corp. 31; lg. cephaloth. 13, lat. ej. $11\,{}^1/_4$, lat. clyp. paullo plus 6; lg. abd. 18, lat. ej. $10\,{}^3/_4$ millim. Palpi 20 millim. longi. Ped. I $60\,{}^1/_4$ (fem. paene 16, pat. 7, tib. 16, metat. 15, tars. $4\,{}^3/_4$), II 63, III 54, IV $58\,{}^1/_3$ (pat. + tib. $20\,{}^3/_4$) millim. longi.

Exempla paucissima, inter ea masculum singulum adultum, magnae et pulchrae hujus speciei examinavi, ad Gunung Sitoli capta; feminam juniorem, 16 millim. longam, quam ejusdem speciei credo, ad Lelemboli inventa est. In ea cephalothorax olivaceo-testaceus est, nigro-variatus, vitta transversa postica, impressionibus cephalicis et radiis flavis, margine laterali flavo-maculato; mandibulae pallidae, utrinque in dorso paullo oblique nigro-bifasciatae, femora annulis 4 nigris latis subter abruptis cinctae, interstitiis flavo-pubescentibus; abdomen supra et in lateribus sub-testaceo-olivaceum, praesertim in lateribus nigro-variatum et secundum dorsum maculis nonnullis nigris notatum, quae in series duas longitudinales parallelas ordinatae sunt, binis earum non parum supra anum in lineam brevem transversam postice concavatam unitae.

Varietatibus obscurioribus *H. venatoriae* simillima est *H. Modigliani*, praesertim femina ejus, quae tamen vulva plane alio modo formata, et pictura cephalothoracis paullo alia praesertim dignosci potest. Mas forma peculiari partis tibialis palporum statim agnoscitur.

Gen. **Palystes**, L. Koch, 1875.

39. **P. melanichnys**, n., *cephalothorace in fundo rufescenti-fusco, pube densa cinerascenti-lutea tecto et linea media longitudinali nigricanti notato; abdomine pube et pilis densis ferrugineo-cinereis vestito et hirsuto; pedibus fuscis, pilis densis luteo- vel ferrugineo-cinereis vestitis et hirsutis, metatarsis et tarsis tamen subter totis nigris.* — ♀ ad. *Long. circa 29 millim.*

Femina. — *Cephalothorax* tibiam cum $^2/_3$ patellae 4.[i] paris longitudine fere aequat, multo longior quam latior, sat altus, dorso a margine postico paene ad medium sat fortiter assurgenti et, anterius, convexo, dein vero paene usque ad oculos recto et lenius proclivi, denique, praesertim inter oculos, sat fortiter proclivi. Pars cephalica magna et lata, transversim fortiter convexa; spatium inter marginem clypei et oculos laterales anticos dimidiam eorum diametrum circiter aequat. Series duae *oculorum* extremitatibus parum inter se appropinquant; series postica serie antica plus dupla oculi lateralis postici diametro longior est. Oculi laterales antici maximi, reliquis oculis aequalibus circa duplo majores. Oculi medii aream occupant, quae multo, fere unius eorum diametro, longior est quam latior postice, et circa dimidio latior postice quam antice. Series oculorum antica a fronte visa sat leviter deorsum curvata est: linea recta oculos laterales anticos supra tangens medios anticos modo paullulo sub margine superiore secat. Series oculorum postica desuper visa plane recta est; oculi laterales hujus seriei vix longius a mediis posticis (qui spatio diametro sua circa dimidio majore sunt separati) quam hi inter se distant. Spatium inter oculos medios anticos dimidiam eorum diametrum fere aequat; a lateralibus anticis spatiis modo minutis sejuncti sunt, cum iis paene contingentes. Spatium inter oculos binos laterales oculi maximi diametro paullo minus est, et non parum minus quam spatia, quibus distant medii antici a mediis posticis, his spatiis duplam oculi medii diametrum circiter aequantibus.

Mandibulae paullo plus duplo longiores quam latiores, patellas 1.[i] paris longitudine aequantes, versus basin modice convexae, tenuiter transversim striatae, sub-nitidae, aequaliter et non dense pilosi paulloque pubescentes; sulcus unguicularis, antice dense ciliatus, ibi dentibus 2 ad angulum interiorem munitus est, postice vero serie 4 dentium praeditus et apice ciliatus. *Labium* paene quadratum, parum longius quam latius. *Pedes* robusti, modice longi (1.[i] paris cephalothorace paene 4.plo longiores); pedes 1.[i] paris pedibus 2.[i] paris modo paullo longiores sunt, sed 4.[i] paris pedibus circa duplo tarso suo longiores. Pube et pilis densis

vestiti et hirsuti sunt pedes et aculeis crebris et fortibus sed non valde longis armati: femora 1.[i] paris, e. gr., circa 9 aculeos habent, quorum 3 vel 4 seriem in latere femoris anteriore formant. Patellae modo in latere postico aculeum habent; tibiae anteriores subter 2. 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeis armatae sunt; supra omnes tibiae aculeis carent. Omnes tarsi et metatarsi usque ad horum basin scopula densa sat lata praediti. *Abdomen* angustius ovatum, antice truncatum, pube et pilis densis vestitum et hirsutum. Area *vulvae* sat magna oblonga antice nigra est et hic in foveam magnam transversam profundam, antice rotundatam, postice truncatam (paene lunatam igitur) excavata: pars vulvae pone hanc foveam sita longior est, sub-quadrata, elevata et convexa (praesertim posterius et ad longitudinem), utrinque pilosa, fusca, et sulco longitudinali nigro persecta.

Color. — *Cephalothorax* in fundo rufescenti-fuscus, linea media longitudinali obscuriore et nigro-pubescenti ab oculis posticis usque in sulcum ordinarium centralem obscurum ducta notatus, praeter in hac linea undique pube densa sat tenui appressa cinerascenti-lutea tecto, pilis et, antice, setis quoque pallidis sparsus. *Sternum* fuscum, pilis densis obscure cinerascenti-luteis vestitum. *Mandibulae* nigrae, macula basali lateris exterioris ferruginea, pilis sub-luteis dense conspersae, apice intus rufo-ciliatae. *Maxillae* piceae, apice sat late ferrugineae et rufo-ciliatae; *labium* piceum. *Pedes* in fundo sub-fusci, femoribus anterioribus subter obscurioribus, coxis paullo obscurioribus (colore sterni) quoque, et tibiis subter versus apicem umbra transversa nigricanti notatis, metatarsis et tarsis omnibus subter nigris; pube brevi albicanti et pilis longioribus densis cinereo-luteis vel ferrugineo-cinereis tecti et hirsuti sunt pedes, excepto quod scopulae nigricanti-olivaceae sunt, quod pili ad basin aculeorum femorum 1.[i] paris maculas minutas pallidas formant, et femora anteriora maculis minutis densissimis albicantibus e pube formatis subter sunt conspersa. *Abdomen* supra et in lateribus pube et piiis densis sordide luteis totum tectum et hirsutum est; anterius in dorso tamen 4 puncta impressa nigra in trapezium disposita ostendit; subter paullo clarius est, ipso ventre pone vulvam

modo pube densa cinerascenti-lutea tecto et lineis nigricantibus duabus incluso, vestigiis linearum aliarum duarum obscuriorum secundum medium quoque. *Mamillae* colore abdominis.

Lg. corp. 29; lg. cephaloth. 15, lat. ej. 11 $^1/_2$, lat. clyp. paene 8; lg. abd. 15, lat. ej. 9 millim. Ped. I 58 $^1/_2$ (fem. 15, pat. 6 $^1/_4$, tib. 15, metat. 15 $^2/_3$, tars. 3 $^2/_3$), II 56 $^1/_2$, III 43, IV 50 (pat. + tib. 16 $^1/_2$) millim. longi.

Feminam supra descriptam (quae palpis caret) in ins. Nias ad Bawo Lowalani cepit Cel. Modigliani. *P. Kochii*, Sim. (1), ex Singapore, haud dubie valde affinis est haec species; quum vero in descriptione *P. Kochii* pedes « brun-rouge foncé à pubescence fauve, longue » tantum dicantur, metatarsi et tarsi ejus etiam *subter* hujus coloris certe sunt, non, ut in nostra specie, nigri.

Gen. **Sarotes** (Sund.), 1833.

40. **S. acolastus**, n., *cephalothorace anteriora versus sensim proclivi, in fundo nigro-piceo, cum abdomine pube sericea densa longiore testaceo-cinerascenti toto tecto, ventre secundum medium nigro tamen, sterno quoque nigro; pedibus pallidius ferrugineis, pube testaceo-cinerascenti vestitis*, *coxis subter piceis, scopulis angustis, nigro-cinerascentibus*, 1.i *paris pedibus reliquos longitudine superantibus; serie oculorum antica modice deorsum curvata, serie postica desuper visa levissime procurva, oculis mediis anticis lateralibus anticis plus dimidio majoribus et a margine clypei spatio remotis, quod eorum diametro duplo minus est, trapezio oculorum mediorum vix longiore quam latiore; parte tibiali palporum apice extus in procursum corneum porrectum longum et fortissimum producta, qui in latere exteriore levissime in formam* ƨ *curvatus est, in latere interiore prope basin quasi in dentem latum dilatatus et ab hoc dente apicem obtusissimum versus sensim paullo angustatus.* — ♂ ad. *Long. circa* 15 *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* paullo longior quam latior, tibiam cum $^2/_3$ patellae 4.i paris longitudine fere aequans, in lateribus partis

(1) Révis. de la fam. d. Sparassidae, loc. cit., p. 45.

thoracicae ample et fortiter (antice leviter) rotundatus, utrinque apud palpos leviter sinuatus, parte cephalica brevi lateribus paene rectis anteriora versus sensim sat fortiter angustata, fronte modice rotundata dimidiam partem thoracicam latitudine non aequanti. Posterius modice altus est cephalothorax, anterius humilis dicendus, transversim praesertim versus latera modice convexus, dorso a latere viso ante declivitatem posticam — quae vix $^1/_3$ reliqui dorsi longitudine aequat et modice praerupta leviterque convexa est — primum (brevi spatio) paullulo assurgenti et magis convexo, praeterea, per maximam longitudinis partem et paene usque ad oculos, satis proclivi et modo levissime convexo, denique paullo magis convexo magisque proclivi. Facies a fronte visa supra in medio non multo convexa est, clypeo directo, humili: spatium inter marginem clypei et oculos medios anticos eorum diametro saltem duplo est minus; spatium inter marginem illum et oculos laterales anticos horum diametrum fere aequat. Impressiones cephalicae satis obsoletae; sulcus ordinarius centralis sat fortis, longitudine tarsum 4.[i] paris circiter aequans. Area *oculorum* paene totam frontis latitudinem occupat. Series eorum duae, apicibus inter se paullo appropinquantes, a fronte visae modice deorsum curvatae sunt: linea recta oculos laterales anticos supra tangens medios in vel paullo sub centro secat. Series postica plus dupla oculi lateralis diametro longior est quam series antica, desuper visa paene recta, modo paullulo procurva. Trapezium, quod formant oculi medii, vix vel non longius est quam latius postice, et paullo latius postice quam antice. Oculi medii antici magni, lateralibus anticis plus dimidio, paene duplo majores, et mediis posticis circa triplo majores; spatium, quo inter se distant, eorum diametro non parum minus est, et paullo minus quoque quam spatia, quibus a lateralibus anticis distant. Oculi laterales antici lateralibus posticis paullo sunt majores, laterales postici mediis posticis parum majores, et modo paullo longius ab iis quam inter se remoti; medii postici spatio diametro sua circa triplo majore sejuncti sunt. Spatium, quo separati sunt oculi bini laterales, anterioris eorum diametrum circiter aequat, et saltem non minus est quam spatia, quibus medii antici a

mediis posticis sunt remoti, his spatiis oculi medii antici diametrum non aequantibus. *Sternum* dimidio longius quam latius, sub-ovatum, nitidissimum.

Mandibulae patellas anticas longitudine aequant, femoribus anticis non parum angustiores; paene duplo longiores quam latiores sunt, latere exteriore ad basin paullo rotundato, praeterea recto, tuberculo ad basin lateris illius transverso, minus conspicuo; apice intus latissime et oblique secundum lineam rectam truncatae sunt, in dorso sat leviter convexae. Sulcus unguicularis dense ciliatus: dentes in margine ejus anteriore, intus, siti tres et sat magni sunt, postice seriem dentium parvorum quinque habet. *Maxillae* parallelae, versus apicem paullo latiores quam basi, circa duplo longiores quam latiores, labio saltem duplo et dimidio longiores, basi oblique rotundato-truncatae, in latere exteriore late et leviter sinuatae, latere interiore quoque paullo concavato; apice extus oblique rotundato-truncatae sunt, apice intus latissime et valde oblique truncatae. *Labium* paullo latius quam longius, lateribus rectis apicem late truncatum versus sensim paullo angustatum. *Palpi* mediocres, clava tamen magna, femora antica latitudine paullo superanti. Pars patellaris circa $^1/_4$ longior est quam latior; pars tibialis eam longitudine aequat, sed apice oblique et late truncato ea non parum latior est, a basi ad apicem sensim dilatata, latere exteriore in procursum corneum fortissimum anteriora versus directum producto: hic procursus quoad liber est non parum est longior quam latus exterius partis tibialis, in latere exteriore levissime in formam litterae ꙅ curvatus, in latere interiore ad ipsam basin suam profunde emarginatus, hoc latere praeterea recto vel leviter concavato sensim usque ad apicem obtusissimum paullo angustato. Pars tarsalis prioribus duabus conjunctis non parum longior est et parte patellari circa triplo latior, paene dimidio longior quam latior, oblique triangulo-sub-ovata, latere altero versus basin rotundato, praeterea paene recto, altero latere basi oblique et omnium latissime emarginato-truncato, dein denuo etiam latius et sat leviter emarginato, hoc latere ita magis versus basin angulum fortem rotundatum formanti; apice sat anguste rotun-

data est pars tarsalis. Bulbus valde complicatus; a latere exteriore visus apicem crassissimum obtusum deorsum flexum ostendit, versus medium vero, extus, procursum brevem crassissimum truncatum pallidum, et inter has partes quasi dentem latissimum. *Pedes* mediocres, ita: I, IV, II, III longitudine se excipientes, 3.ii paris exceptis non multo inter se ad longitudinem differentes. Tarsi omnes et metatarsi anteriores scopula angusta non multo densa sunt praediti; patellae inermes sunt; tibiae omnes supra aculeis carent. *Abdomen* angustius ovatum, antice subtruncatum, ipso apice a reliquo abdomine sulco profundo separato. *Mamillae* mediocres, superiores et inferiores fere eadem longitudine, art. 2.° praesertim inferiorum brevissimo.

Color. — *Cephalothorax* in fundo nigro-fuscus est, pilis suberectis nigris sparsus et pube densa sat longa testaceo-cinerea totus tectus. *Sternum* nigrum, parce nigro-pilosum. *Mandibulae* piceae, pilis fortibus nigris et fuligineis dense conspersae, sulco unguiculari dense rufo-ciliato. *Maxillae* piceae, apice intus pallidiores. *Labium* nigro-piceum. *Palpi* pallide ferruginei, cinerascenti-pubescentes, parte tibiali extus cum procursu nigra, parte tarsali basi intus et bulbo ad maximam partem nigris quoque. *Pedes* pallidius ferruginei, tarsis saltem basi magis testaceis, coxis subter pallide piceis; pube sericea densa et longa testaceo-cinerascenti vestiti sunt, pube subter in femoribus minus densa; scopulae nigricanti-cinereae. *Abdomen* in fundo nigricans est, hac pictura sub-testacea: anterius in dorso maculam oblongam maximam fere Λ-formem ostendit, pone eam vittam vel lineam transversam in medio abruptam, apicibus interioribus anteriora versus fractis; dein, inter medium et anum, seriem longitudinalem lineolarum transversarum retro fractarum. Pilis nigris sub-erectis sat dense sparsum est abdomen et pube longiore densa testaceo-cinerascenti vestitum, quae picturam illam abscondit. Venter ante rimam genitalem, excepto in medio, pallidus est, pone rimam sat late niger, hac area nigra anum versus sensim angustata et utrinque linea testacea limitata. *Mamillae* sub-piceae.

Lg. corp. 15; lg. cephaloth. 7 $^1/_2$, lat. ej. 6 $^1/_2$, lat. clyp. paene 3 $^1/_4$; lg. abd. 7 $^1/_2$, lat. ej. 4 $^1/_2$ millim. Ped. I 26 $^1/_2$, II

$25\,{}^1/_2$, III 20, IV 26 millim. longi; pat. + tib. IV $8\,{}^3/_4$ (tib. $6\,{}^1/_3$) millim.

Mas singulus in Nias, ad Hili Zabobo, inventus fuit.

Fam. MISUMENOIDAE.

Subfam. **MISUMENINAE.**

Gen. **Camaricus,** Thor., 1887.

41. **C. fornicatus**, Thor.

Syn.: 1887. *Camaricus fornicatus*, Thor. [Viaggio di L. Fea, *cet.*, II], Primo Saggio sui Ragni Birmani, loc. cit., p. 362.

Cel. Modigliani marem juniorem in Sumatra ad Sibogam invenit: in eo (ut nescio an in femina) pedes paene toti flavo-testacei sunt, ad longitudinem nigro-lineati: femora et tibiae anteriora lineam plus minus distinctam nigram subter habent, femora 4.ⁱ paris apice supra anguste nigra sunt; patellae lineam nigram utrinque ostendunt, et annulum angustum apicalem nigrum plus minus abruptum; tibiae posteriores summo apice nigrae sunt, lineola brevi nigra ad apicem subter; metatarsi et, saltem in pedibus anterioribus, tarsi linea nigra supra sunt notati. Palpi toti flavo-testacei.

Praeter in Birmania et in Sumatra *C. fornicatus* etiam in ins. Pinang (a Cel. Workman) captus fuit.

Gen. **Runcinia,** Sim., 1875.

42. **R. Kinbergii**, Thor.

Syn.: 189 . . *Runcinia Kinbergii*, Thor., Spindlar fr. Nikobarerna, *cet.*, loc. cit.

Hujus speciei, jam antea in Java et Sumatra inventae, feminam juniorem ad Sibogam Sumatrae cepit Modigliani.

Gen. **Daradius**, Thor., 1870.

43. **D. callidus**, n., *cephalothorace granuloso, paene glabro, sordide vel ferrugineo-luteo, parte cephalica postice albicanti, facie albicanti-sub-variata, linea recta fusca albicanti-limbata inter angulos frontales extensa munito sed carina transversa ibi carenti; pedibus ferrugineo-luteis, femoribus, patellis et tibiis anterioribus albo-annulatis, annulis plerisque superius late abruptis; metatarsis anterioribus subter circa* 4 *paribus, tibiis anterioribus ibidem* 1–4 *paribus aculeorum armatis, aculeis pallide fuscis; abdomine sub-pentagono, utrinque in dorso, fere in medio marginis, in tuberculum vel angulum obtusum dilatato, luteo-flavo, linea tenui brevi transversa nigra supra utrinque, in angulis, notato; vulva ex* V *piceo, e costis duabus formato et in area parva sub-ferruginea posito, constanti.* — ♀ ad. *Long. circa* 8 $^1/_2$ *millim.*

Femina. — *D. pustuloso* (L. Koch) et *D. annulipedi* (Thor.) [1] haec species simillima est, sed, ut videtur, ab utroque distincta. *Cephalothorax,* patellam + tibiam pedum anticorum longitudine aequans, ad formam plane ut in *D. annulipede* diximus est, fronte inter apices angulorum frontalium valde acuminatorum truncata et parum sinuata, paene recta, carina transversa (saltem inter oculos posticos medios) carenti; facies valde praerupte proclivis, paene directa, ita ut clypeus vix visibilis sit, si plane desuperne inspicitur cephalothorax. Postice modice altus est cephalothorax, ante declivitatem posticam (reliquo dorso paullo breviorem) usque ad oculos sensim proclivis et leviter convexus; glaber est, tuberculis sat parvis rotundatis, in parte thoracica et in lateribus partis cephalicae minus densis, postice in parte cephalica densis, praeterea vero in hac parte raris sparsus, facie subtilius et inaequaliter tuberculis minutis conspersa, granulis densioribus utrinque fasciam angustam valde obliquam ab oculo laterali antico ad medium marginis clypei ductam formantibus.

(1) Studi sui Ragni Malesi e Papuani, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 501 (161) [*Pistius annulipes*].

Altitudo clypei paullulo minor est quam spatium inter oculos medios anticos et posticos. *Oculi* laterales antici, magis versus basin lateris anterioris coni (anguli) frontalis locati, reliquis oculis paene aequalibus non parum (vix dimidio) sunt majores. Oculi medii aream formant paene duplo latiorem postice quam antice, et fere aeque longam ac latam antice; spatia inter oculos anticos medios et laterales circa dimidio majora sunt quam spatium, quo illi inter se distant; oculi medii postici paene duplo longius inter se quam a lateralibus posticis remoti sunt. *Sternum* subovatum, antice truncatum, pilis tenuibus patentibus sat dense sparsum.

Mandibulae deorsum et paullo anteriora versus directae, duplam altitudinem clypei longitudine paullo superantes, tibia 4.[i] paris paullo breviores, in dorso parum convexae. *Pedes* mediocres (2.[i] paris cephalothorace paene triplo longiores), pube et pilis brevibus parce sparsi, aculeis in pedibus posterioribus vix ullis. In femoribus anterioribus, vel saltem 1.[i] paris, quae antice sat dense et sat subtiliter granulosa sunt, aculeos paucos minutos video; tibiae anteriores subter aculeis mediocribus, ad numerum valde variantibus (in tibia altera 1.[i] paris nostri exempli 1. 1. 2. 2. sunt, in altera modo 2.!) sunt armatae; metatarsi anteriores subter aculeos ejusmodi 2. 2. 2. 2. fere habent. *Abdomen* forma ordinaria, sub-pentagonum et paullo latius quam longius, supra utrinque, fere in medio marginis, in tuberculum obtusum foras directum (parum prominens) dilatatum, lateribus ante haec tubercula sive angulos rectis vel sub-concavatis, dorso inter ea transversim leviter convexo vel paene recto, dorso pone ea semicirculato fere, convexo et praerupte declivi. *Vulva* ex area parva ferrugineo-fusca constat, quae ad maximam partem a costis duabus piceis levissime sinuatis, posteriora versus sensim angustatis, postice conjunctis et V sat magnum formantibus occupatur.

Color. — *Cephalothorax* sordide luteus, parte cephalica postice in formam V brevis crassissimi dense albo-granulosa, anterius vero lineolis albicantibus sub-reticulata; linea transversa recta fusca per oculos medios posticos ad apicem angulorum frontalium ducta est notata, quae linea saltem postice linea vel vitta albi-

canti limitatur; alia linea tenuis fusca valde obliqua ab angulis frontalibus per oculos laterales anticos ad clypeum ducta est; facies praeterea paullo albicanti-variata. *Sternum* flavo-testaceum, pallido-pilosum. *Mandibulae* ferrugineo-luteae, apice albicantes, versus basin albicanti-reticulatae vel -maculatae. *Palpi* et *pedes* ferrugineo-lutei, albicanti-annulati, annulis plerisque supra latissime abruptis: femora annulum ejusmodi fere medium habent, praeterea antice albo-punctata; patellae annulum latum ostendunt, tibiae binos annulos angustiores, medium et basalem, supra plus minus late abruptos. Pedes posteriores non vel minus evidenter annulati sunt. Aculei tibiarum et metatarsorum anteriorum pallide fusci (non nigri), pubes et pili palporum et tarsorum pallidi. *Abdomen* luteo-flavum, parce pallido-pubescens, stria parva transversa nigra utrinque in dorso, in ipsis angulis lateralibus, notatum; venter secundum medium magis albicans. *Mamillae* superiores flaventes, inferiores sordide testaceae.

Lg. corp. $8\,^1/_2$; lg. cephaloth. 4, lat. ej. parum plus $3\,^1/_2$, lat. frontis (cum angulis) saltem $2\,^1/_2$; lg. abd. $5\,^1/_6$, lat. ej. paullo plus 6 millim. Ped. I $11\,^1/_4$, II paene $11\,^1/_4$, III $6\,^1/_2$, IV $6\,^3/_4$ millim. longi; pat. + tib. IV circa $2\,^4/_5$ millim.

Feminam singulam in Nias ad Hili Zabobo invenit Modigliani. — A *D. pustuloso* haec species statura minore et forma alia vulvae, ut et abdomine supra in tuberculis lineola transversa nigra notato, praesertim differt; a *D. annulipede*, cujus femina adulta adhuc est ignota, defectu plagae longitudinalis nigrae, quam in lateribus abdominis, pone angulos laterales, ostendit *D. annulipes*, facile dignosci potest *D. callidus*. — *D. spectabilis* (Dol.) alia species affinis est, quae, ut *D. annulipes* et *D. callidus*, linea parva transversa nigra supra in tuberculis abdominis est notata: sed aculei metatarsorum in hac specie, quae iis major videtur, *nigri* dicuntur; neque in ea *annulorum alborum* in pedibus mentio facta est.

Gen. **Phrynarachne**, Thor., 1869.

44. **Ph. decipiens** (Forbes), *albicanti- vel cinerascenti-flava, cephalothorace utrinque postice, paullo ante marginem, macula nigra signato et utrinque inter oculos laterales anticos et oculos posticos*

in tuberculum vel potius cristam transversam sub-obliquam elevato; sterno anguste nigro-marginato et (interdum) maculis duabus nigris postice notato; pedibus paullo nigro-maculatis et plus minus albicanti-variatis, femoribus anterioribus, anterius crasse granulosis, annulo vel annulis binis nigris infra late abruptis praeditis, tibiis anterioribus supra in dimidio apicali, cum metatarsis tarsisque paene totis, nigris; abdomine superius in declivitate postica plaga magna sub-trapezoidi postice latiore nigra notato, in qua pustulae 4 *nigrae sat magnae, trapezium antice latius quam postice formantes (aliaeque minores) conspiciuntur, lateribus hic utrinque late plus minus elevatis et tuberculis nonnullis sat magnis pallidis sparsis; ventre fasciis duabus longitudinalibus nigris notato; vulva ex area parva constanti, quae callum pallidum paullo procurvum continet et paullo pone eam maculas duas nigras ostendit.* — ♀ ad. *Long. circa* 14 $^1/_2$ *millim.*

Syn.: 1883. *Thomisus decipiens*, Forbes, On the habits of Thomisus decipiens, *in* Proceed. of the Zool. Soc. of London, 1883, p. 586, Pl. LI.
1884. *Ornithoscatoides decipiens*, Cambr., On two new genera of Spid., ibid., 1884, p. 199, Pl. XV, fig. 1.
1885. » » id., On a new genus of Spiders, *in* Forbes, A Naturalist's Wanderings in the Eastern Archipelago, *cet.*, p. 120.
1890. *Phrynarachne decipiens*, Thor., Studi, *cet.*, IV, Ragni dell' Indo-Malesia, *cet.*, I, loc. cit., p. 35.

Cel. Modigliani duas feminas *Ph. decipientis*, qui in Java et Sumatra a Cel. Forbes detectus fuit, ex ins. Nias domum reportavit, alteram (adultam) ad Lelemboli, alteram (juniorem) ad Bawo Lowalani captam.

Trib. **SALTIGRADAE.**

Fam. SALTICOIDAE.

Gen. **Synemosyna** (Hentz), 1832.

45. **S. praelonga**, n., *longa et angusta, cephalothorace ferrugineo-rubro, parte cephalica parum proclivi, plana et multo altiori quam est pars thoracica; pedibus anterioribus flavo-testaceis, paullo nigro-lineatis, metatarsis* 1.[i] *paris, basi excepta, cum basi tarsorum nigris, pedibus posticis testaceo-fuscis, apice latissime et basi fla-*

ventibus, paulloque nigro-annulatis; pedibus 1.ⁱ *paris pedes* 3.ⁱⁱ *paris longitudine superantibus, et non tantum subter in tibiis* 5 (4) *et subter in metatarsis* 2 *paribus aculeorum armatis, verum etiam aculeo in patellis, aculeoque uno alterove in femoribus, supra et antice; pedibus* 2.ⁱ *paris subter in tibiis* 3 *paribus, subter in metatarsis* 2 *paribus aculeorum instructis; mandibulis cephalothorace paullo brevioribus, 4.plo longioribus quam latioribus, supra planis, extus ad longitudinem sat leviter rotundatis, ungui longo, in medio paene recto et, subter, sub-crenulato, paullo magis versus basin vero, subter, dente armato.* — ♂ ad. *Long. circa* 7 *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* patellam + tibiam + dimidium metatarsi 4.ⁱ paris longitudine aequat fere; duplo longior quam latior est, in medio fortiter constrictus, parte cephalica, quae parte thoracica multo altior est, desuper visa aeque lata ac longa, anteriora versus sensim vix vel parum angustata, lateribus postice fortiter, praeterea usque ad oculos laterales anticos modice rotundatis, fronte sat leviter rotundata; pars thoracica parte cephalica multo, saltem $^1/_3$, angustior est sed ea non longior, circa $^1/_3$ longior quam latior, in medio utrinque rotundata, a medio lateribus rectis anteriora versus parum, sed posteriora versus lateribus rectis quoque sensim modice angustata, postice rotundata et elevato-marginata. A latere visa pars cephalica supra parum proclivis et recta (non convexa) est, postice praerupte declivis et paullo convexa, hac declivitate dimidium reliqui dorsi partis cephalicae longitudine fere aequanti; pars thoracica a latere visa excepto postice modice convexa est, antice brevi spatio evidenter proclivi, praeterea declivi, dorso postice recto. Sub-opacus et subtilissime coriaceus (non granulosus) est cephalothorax, pilis praesertim in facie densis plus minus sparsus: in medio clypei setam longam fortem porrectam et sursum curvatam video. *Oculi* ut in *S. laeta,* Thor. (1), et affinibus; oculi laterales antici a mediis anticis spatio modo minuto sejuncti sunt.

Mandibulae porrectae, parallelae, triquetrae, cephalothorace

(1) [Viaggio di L. Fea in Birmania e regioni vicine, II.] Primo Saggio sui Ragni Birmani, loc. cit., p. 339.

vix $^1/_4$ breviores, desuper visae 4.plo longiores quam latiores, a latere visae apicem versus sensim angustatae et supra paene rectae. Supra planae sunt, parum nisi ad basin extus pilosae, nitidae, sat crasse et dense transversim rugosae, latere superiore, quod extus et intus margine tenuissimo est limitatus, intus recto, extus leviter (modo ad basin paullo fortius) rotundato-arcuato: apicem et basin versus aequaliter angustatae sunt, apice lateris superioris plane transversim truncato intus dentem non formanti. Latera mandibularum transversim striata sunt. Sulcus unguicularis vix ullus; loco ejus, secundum marginem suum inferiorem, series duas longissimas dentium ostendit mandibula: series superior inferiore longior est, e dentibus sat parvis circa 10 composita, dentibus 2.° et 3.° (praesertim 2.°) sequentes magnitudine superantibus; dens 1.s sat parvus, ad ipsam articulationem unguis locum tenens, basi a 2.° vix ullo spatio separatus est, 2.s a 3.° spatio paullo minore sejunctus, quam quo distant 3.s et sequentes inter se. Series inferior, aeque longe retro continuata ac superior, ex dentibus minutis circa 9 formata videtur. Unguis gracilis, mandibulam longitudine aequans, ipsa basi et apice incurvus, praeterea paene rectus; subter inter basin et medium (magis versus medium) dente sat forti armatus est, in medio subter serie tuberculorum parvorum sub-crenulatus, parte apicali tertia graciliori laevi. *Maxillae* et *labium* ut in *S. laeta* sunt. *Palpi* graciles, vix deplanati, extensi non ad apicem mandibularum pertinentes, clava femora antica (versus apicem eorum) latitudine aequanti; pars patellaris plus dimidio longior est quam latior, pars tibialis ea non parum longior, a basi ad apicem oblique truncatum sensim non ita multo dilatata, fere dimidio longior quam latior apice; pars tarsalis parte tibiali paullo longior et paullo latior est, circa duplo longior quam latior, lateribus paene rectis apicem versus parum dilatata, apice late rotundata. *Pedes* breves et graciles ita: IV, I, III, II, longitudine se excipiunt; femora 1.i paris supra 1 aculeum ad apicem et 1 versus basin sitos ostendunt, antice vero versus apicem 1 aculeum; patellae hujus paris 1 aculeum, tibiae 5 paria aculeorum (quorum ultimi paris tamen reliquis minores sunt)

subter habent, tibiae 2.[i] paris subter 3 paria aculeorum; metatarsi anteriores subter 2. 2. aculeis praediti sunt. Praeterea pedes aculeis carere videntur. *Abdomen* inverse et angustissime sub-ovatum, circa triplo longius quam latius, anterius, ad $^1/_3$ longitudinis fere, constrictum. *Petiolum* longissimum, triplo-quadruplo longius quam latius, articulatione in medio.

Color. — *Cephalothorax* ferrugineo-ruber, parte cephalica parum obscuriore, oculis sex anterioribus nigrore conjunctis, et oculis posticis suae quoque maculae nigrae impositis; pilis longioribus albis saltem in parte thoracica, in clypeo et circum oculos sparsus et sub-hirsutus est. Impressiones cephalicae macula cuneata ordinaria e pube densa alba formata apud marginem lateralem cephalothoracis munitae sunt. *Mandibulae* piceae, apice pallidiores, ad basin extus pilis longioribus albis sat densis munitae; *sternum*, *maxillae* et *labium* pallide fusca. *Palpi* sub-fusco-testacei, pube et pilis albis sparsi, partibus tibiali et tarsali piceis. *Pedes* anteriores sordide flavo-testacei (coxis et femoribus paullulo obscurioribus, sub-fusco-testaceis), his exceptis: in pedibus 1.[i] paris femora extus fascia vel linea longitudinali nigra notata sunt, patellae et tibiae contra intus linea longitudinali nigra; metatarsi ad maximam partem, basi excepta, nigri sunt, tarsi basi sat late nigricantes. In pedibus 2.[i] paris modo femora lineam longitudinalem nigram intus sitam ostendunt, et coxae maculam nigram postice. Pedes 3.[ii] paris flaventes sunt, coxis et femoribus testaceo-fuscis, patellis apice obscuris; pedes 4.[i] paris testaceo-fusci dici possunt, trochanteribus, basi femorum, metatarsis et tarsis flaventibus: femora et patellae in pedibus hujus paris apice nigricantia sunt, tibiae quoque basin versus sensim nigricantes. Aculei fusci. *Abdomen* superius fuligineo-fuscum, pilis sub-testaceis sparsum; venter ante rimam genitalem fuscus, pone eam secundum medium nigricans, in lateribus pallidior et albicanti-pubescens. *Mamillae* sub-fuscae.

Lg. corp. 7 millim.; lg. cephaloth. parum plus 3, lat. ej. max. paene 1 $^2/_3$, lat. front. circa 1 $^1/_2$; lg. abd. paullo plus 2 $^3/_4$, lat. ej. 1 $^1/_6$ millim. Ped. I 6 (pat. + tib. 2 $^1/_2$, metat. + tars. 1 $^1/_2$), II circa 5, III 5 $^1/_4$, IV 7 $^3/_4$ (pat. + tib. paene 2 $^1/_2$,

metat. + tars. 2 1/4) millim. longi; mandib. paullo plus 2 1/2, petiolum 1 millim.

Marem singulum in ins. Nias, ad Lelemboli, cepit Cel. Modigliani. — A *S. laeta,* Thor., cui quam maxime affinis est, differt *S. praelonga* cephalothorace toto ferrugineo-rubro, pedibus 1.[i] paris pedes 3.[ii] paris longitudine superantibus et paullo alio modo aculeatis, mandibulis longioribus, cet.

Gen. **Harmochirus,** Sim., 1886.

46. **H. nervosus**, Thor., *cephalothorace piceo, supra squamulis aureo-olivaceis, in lateribus squamulis aureo-cupreis vestito; abdomine rotundato, piceo, supra nitidissimo, et saltem in lateribus squamulis cupreo-purpureis munito; pedibus* 1.[i] *paris piceis, apice pallidioribus, trochanteribus paene duplo longioribus quam latioribus, femoribus subter, tibiis et supra et subter fascia longa angusta pilorum densorum nigrorum praeditis, tibiis a latere visis circa triplo longioribus quam latioribus, metatarsis tibia brevioribus, pedibus sex posterioribus testaceis, plus minus nigro-fasciatis -lineatisve, femoribus basi excepta nigris.* — ♂ ad. *Long. circa* 3 3/4 *millim.*

Marem singulum adultum ex Siboga Sumatrae, in qua insula jam primum a Cel. Beccari inventa fuit haec species, domum reportavit Modigliani.

47. **H. Malaccensis**, Sim.

Syn.: 1886. *Harmochirus malaccensis*, Sim., Matér. pour servir à la Faune Arachn. de l'Asie mérid., III, Arachn. recueillis . . . dans la presqu'île de Malacca, *cet.*, *in* Bull. de la Soc. Zool. de France, X (1885), p. (6).

Etiam hujus speciei exempla duo, femineum adultum (2 3/4 millim. longum) aliudque junius, quod masculum videtur et 2 1/2 millim. longum est, in Sumatra (Siboga) invenit Modigliani. Abdomen feminae *ad.* nigricans est, arcu transverso flaventi longe supra anum, et macula cuneata flaventi in utroque latere antice; ad basin et in lateribus abdominis vestigia adsunt squamularum cuprearum et pubis flaventis, quae fasciam recurvam fortasse

formaverunt; venter secundum medium cinereo-pubescens est. Pedes posteriores sex flavo-testacei, anguste nigro-sub-annulati, parum nigro-lineati, femoribus ad maximam partem, basi excepta, infuscatis vel nigris. — In exemplo *juniore* pedes 1.ⁱ paris paullo longiores quam in femina adulta sunt; tibia eorum a latere visa vix longior est quam latior; abdomen parvum nigrum antice tres maculas cupreas e squamulis formatas et in triangulum sat parvum dispositas ostendit, duas ad basin sitas, tertiam paullo pone eas: longe supra anum lineam brevem transversam paullo recurvam pallide cupream habet, et in utroque latere infra, anterius, lineolam (?) obliquam ejusdem coloris, postice in lateribus, infra, plaga cuprea notatum quoque. Pedes sex posteriores flavo-testacei distinctissime nigro-annulati et ad longitudinem nigro-lineati vel -fasciati sunt; palpi flavi.

Typus *H. Malaccensis*, Sim., (♂ *ad.*) in peninsula Malacca inventus est; exempla feminea, quae ad hanc speciem antea [1] retuli, ad Sipoholon et Kaju-tanam Sumatrae sunt capta.

Gen. **Stichius** [2], N.

Cephalothorax humilis, anterius supra sub-planus, non parum longior quam latior, a medio anteriora versus lateribus rectis minus fortiter quam posteriora versus sensim angustatus; clypeus humilis.

Quadrangulus oculorum dimidiam longitudinem cephalothoracis occupat, postice eo non angustior, paullo latior antice quam longior et non parum latior postice quam antice; oculi seriei 2.ᵃᵉ paullo longius ab oculis posticis foras prominentibus quam a lateralibus anticis distant. Oculi antici conferti, medii lateralibus circa triplo majores; linea oculos anticos supra tangens recta est. Oculi postici multo longius inter se quam a margine cephalothoracis sunt remoti.

Sternum coxis latius; spatium inter coxas 1.ⁱ paris labii latitudinem aequat.

(1) Spindlar fr. Nikobarerna, *cet.*, loc. cit.

(2) Στιχίος, nomen person. mythol.

Mandibulae breves, parallelae, directae, ungui sat longo.

Maxillae labio saltem duplo longiores; labium non longius quam latius, apice rotundatum.

Palpi feminae non apicem versus deplanati vel incrassati.

Pedes breviores, ita: I, IV, III, II longitudine se excipientes; 1.^{i} paris pedes reliquis multo crassiores (etiam metatarsis tarsisque sat robustis), fimbriis carentes; tibia cum patella 4.^{i} paris tibiam cum patella 3.^{ii} paris longitudine superat vel saltem aequat. Pedes saltem 1.^{i}-3^{ii} parium aculeati.

Abdomen pulchre et longius ovatum, non constrictum.

Mamillae longae, superiores graciles, art. 2.º aeque circiter longo ac lato.

Typus: *S. albo-maculatus*, n.

Ad formam cephalothoracis cum *Rhombonoto*, L. Koch, satis convenit hoc genus; sed in *Stichio* brevior est cephalothorax, fortius posteriora quam anteriora versus angustatus; quadrangulus oculorum latior est quam longior, et oculi seriei 2.^{ae} modo *paullo* longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis remoti; abdomen non constrictum est. Tibia cum patella 4.^{i} paris tibiam cum patella 3.^{ii} paris vix longitudine superat — ita saltem in exemplo juniore speciei typicae. — Cum *Ballo*, C. L. Koch, multis rebus convenit quidem hoc novum genus, cephalothorace posteriora versus multo fortius sensim angustato, abdomine longiore, posteriora versus angustato, mamillis longioribus, cet., a *Ballo* distinguendum.

48. **S. albo-maculatus**, n., *cephalothorace piceo, maculis et margine laterali albis, pedibus* 1.^{i} *paris piceis, basi late obscurioribus, apice late testaceis, reliquis pedibus testaceis, femoribus plus minus late infuscatis; abdomine anguste ovato, nigro, quattuor paribus macularum albissimarum supra ornato, quae in series duas longas paullo incurvas dispositae sunt.* — ♀ jun. *Long. saltem* 3 $^{1}/_{4}$ *millim.*

Femina *jun.* — *Cephalothorax*, patellam + tibiam + metatarsum 4.^{i} paris longitudine circiter aequans, circa dimidio longior quam latior est, latitudine maxima in medio, ubi oculi postici locum tenent: ab his oculis, foras prominentibus, anteriora

versus lateribus rectis usque ad oculos laterales anticos sensim non parum angustatus est, posteriora versus lateribus antice rectis, postice leviter rotundatis sensim fortius angustatus, paene duplo latior antice, ubi late truncatus (parum rotundatus) est, quam postice, ubi truncatus est et vix vel parum emarginatus. Sat humilis est cephalothorax, ante oculos posticos planus, dorso a latere viso ante hos oculos modice proclivi et paene recto, pone eos fortius declivi et in declivitatem posticam etiam fortius (sed non multo praerupte) declivem et rectam sensim transeunti. Clypeus humillimus videtur. Quadrangulus *oculorum*, dimidiam cephalothoracis longitudinem occupans, plus dupla oculi postici diametro latior est postice quam antice, et modo paullo latior antice quam longior. Oculi minuti 2.ae seriei paullo longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant. Oculi postici, qui lateralibus anticis vix vel parum minores sunt, in ipsis lateribus dorsi positi sunt et foras prominentes, paene duplo longius inter se quam a margine cephalothoracis remoti. Oculi medii antici, inter se paene contingentes, lateralibus anticis circa triplo majores sunt et ab iis parum longius quam inter se remoti. Linea oculos anticos supra tangens recta est. *Sternum* sub-ovatum, coxis parum latius; spatium inter coxas 1.i paris labii latitudinem aequat.

Mandibulae minutae, longe retro sub clypeo retractae. *Maxillae* sub-ovatae, ante labium intus ample rotundatae, apice paullo oblique rotundato-truncatae, labio plus duplo longiores; *labium* paullo latius quam longius videtur, apice late rotundatum. *Pedes* non ita breves, 1.i paris robusti, reliqui graciles; pedes 1.i paris reliquis paullo longiores sunt, nec fimbriatae nec subter multo densius quam praeterea pilosi; tibia cum patella 4.i paris vix vel non longior mihi videtur quam tibia cum patella 3.ii paris, quamquam pedes 4.i paris pedibus 3.ii paris evidenter paullo longiores sunt. Femora 1.i paris sat fortiter compressa, a latere visa lata et supra sat fortiter arcuato-convexa, tibiae quoque paullo compressae, a latere visae subter levissime arcuato-convexae, femoribus non parum angustiores, apicem versus sensim paullulo angustatae et metatarsis fere duplo latiores; desuper visae patella et tibia hujus paris fere aeque latae sunt, illa di-

midio, haec saltem duplo longior quam latior; metatarsus, qui desuper visus tibia saltem dimidio angustior est, paullo plus duplo longior est quam latior, tarsus etiam paullo angustior, apicem versus sensim paullo angustatus. Tibiae 1.[i] paris subter 2. 2. 2., metatarsi 1.[i] paris subter 2. 2. aculeis mediocribus sunt armati; in pedibus 2.[i] paris tibiae subter modo 1. 1., metatarsi subter 2. 2. (?) aculeos habere videntur; etiam in tibiis et praesertim in metatarsis 3.[ii] paris aculei pauci adsunt; praeterea pedes aculeis carere videntur. *Abdomen* circa duplo longius quam latius.

Color. — *Cephalothorax* piceus, vestigiis pubescentiae rufescentis, et pube albissima hic illic munitus, quae in nostro exemplo ad partem detrito maculam vel vittam transversam latam frontalem, maculam mediam transversam (in medio abruptam) paullo pone oculos posticos, maculam minorem apud (pone) utrumque horum oculorum, et maculas duas parvas paene in medio declivitatis posticae sitas fere format: praeterea linea tenui alba in lateribus cingitur cephalothorax, in clypeo pilis longis albicantibus minus dense vestitus; annuli circum oculos anticos ferrugineo-lutei sunt. *Sternum* nigrum; *mandibulae* piceae, *maxillae* et *labium* testaceo-nigricantia, illae apice intus pallidiores. *Palpi* flavi, albo-pubescentes, basi late nigricantes. *Pedes* 1.[i] paris picei, coxis, trochanteribus et femoribus nigro-piceis, metatarsis tarsisque testaceis: nigro- et praesertim subter in femoribus albo-pilosi sunt. Pedes posteriores flavo-testacei, albo-pilosi, femoribus ad maximam partem (2.[i] paris totis) piceis vel nigricantibus. Aculei nigri. *Abdomen* nigrum, maculis 8 albissimis in series duas longitudinales paullo incurvas, a basi usque ad latera mamillarum pertinentes dispositis supra ornatum: duae primae harum macularum transversae sunt et spatio modo parvo sejunctae, reliquis paullo majores et ad ipsam basin dorsi sitae; 4 mediae, quarum anteriores oblongae sunt, quadratum fere formant, ad latera abdominis sitae; duae ultimae minutae ad latera mamillarum locum tenent. Paullo pone maculas duas primas maculam vel lituram mediam sub-cupream video; maculae 2.[i] paris postice et maculae 4.[i] paris antice colore sub-cupreo limbatae viden-

tur (?). Latera abdominis antice lineam obliquam albam a vicinitate macularum duarum primarum albarum dorsi deorsum et retro ductam ostendunt, et maculam vel lineolam parvam albam fere in medio; venter secundum medium pube longiore alba, fasciam latam formanti, vestitus est; *mamillae* nigrae.

Lg. corp. 3 $^1/_4$ millim.; lg. cephaloth. 1 $^2/_3$, lat. ej. circa 1 $^1/_4$, lat. front. parum plus 1; lg. abd. paullo plus 1 $^1/_2$, lat. ej. circa $^3/_4$ millim. Ped. I 3 (pat. + tib. paullo plus 1), II paene 2 $^1/_2$, III circa 2 $^3/_4$, IV paene 3 millim. longi; pat. + tib. III paene 1, pat. + tib. IV et metat. + tars. IV paene 1 millim.

Singulum exemplum femineum nondum adultum pulchrae hujus araneolae in Sumatra (Siboga) cepit Modigliani.

Gen. **Bianor**, Peckh., 1885.

49. **B. balius**, Thor., *cephalothorace in fundo nigro-piceo, supra pube sub-lutea saltem ad magnam partem vestito, lateribus antice cum clypeo dense flavo-pubescentibus, maculis saltem tribus albis e pube formatis posterius notato, ut et fascia angusta alba utrinque, secundum marginem lateralem; palpis in fundo nigro-piceis, parte tibiali obliqua et sub-transversa; pedibus* 1.^{i} *paris longis et sat robustis, totis piceis, reliquis pedibus piceis et pallido-annulatis; abdomine oblongo, sub-elliptico, piceo, supra pube sub-lutea saltem ad magnam partem vestito et maculis albis ornato, quarum duae non longe ante apicem dorsi posticum, ad latera, locatae sunt, duae aliae minutae in ipso apice ejus; lateribus abdominis cupreo-squamulosis.* — ♂ ad. *Long. circa* 4 $^1/_2$ *millim.*

Cel. Modigliani in Nias, ad Gunung Sitoli, marem adultum cepit, quem hujus speciei credo, etsi in cephalothorace modo maculas duas minutas habere videtur, pone (apud) oculos posticos sitas; quadrangulus oculorum vix dimidia diametro oculi postici singuli angustior est postice quam cephalothorax eodem loco, et oculi 2.^{ae} seriei non dimidio longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis locati in hoc exemplo videntur. — Exemplum typicum *B. balii* (cujus diagnosin hic dedi) in Sumatra inventum est.

Gen. **Holoplatys**, Sim., 1885.

50. **H. planissima** (L. Koch)?, var. **occidentalis**, n., *cephalothorace piceo, area oculorum nigra, praesertim in lateribus albo-piloso et -sub-hirsuto, intermixtis pilis nigris; palpis sordide testaceis, pedibus brevius albo-pilosis et pilis nigris, praesertim in tibiis et metatarsis anticis densis, munitis;* 1.i *paris pedibus testaceo-piceis, femoribus saltem in marginibus, cum tibiis metatarsisque ad maximam partem, nigris, tarsis sub-testaceis; pedibus* 2.i *paris testaceo-piceis quoque, metatarsis et tarsis sub-testaceis; reliquis pedibus fusco-testaceis, nigro-sub-annulatis, tarsis flavis, metatarsis* 4.i *paris nigris totis; abdomine nigricanti, albo-piloso, aut supra unicolore fere, aut fasciis duabus longitudinalibus cinerascentibus secundum totum dorsum extensis notato, spatio inter has fascias anterius (praesertim in medio) iis non vel parum angustiore, posterius vero modo lineam nigram formanti; ventre testaceo-fuligineo, lineis longitudinalibus tribus pallidioribus paene parallelis et longe inter se remotis notato.* — ♀ jun. *Long. saltem* 9 *millim.*

Syn. ? 1879. *Marptusa planissima*, L. Koch, Die Arachn. Austral., p. 11, Tab. XCVI, fig. 4-5c (= *forma princip.*).

Exempla duo nondum adulta araneae in Nias ad Gunung Sitoli et Fadoro cepit Cel. Modigliani, quae ab *H. planissima* vix nisi colore paullo alio differre videtur, et quam potius varietatem hujus speciei quam novam speciem judicaverim. In « *Marptusa planissima* » tamen pedes 1.i paris non tantum tarsum, verum etiam metatarsum fusco-testaceum habent, et patellam apice corona pilorum alborum cinctam, quae ita in nostra aranea non sunt; reliqui pedes « *M. planissimae* » modo fusco-testacei dicuntur, et metatarsi 4.i paris igitur in ea nigri non sunt. De fasciis clarioribus in dorso abdominis in descriptione L. Kochii mentio facta non est.

H. planissima (forma princip.) per magnam partem Australiae diffusa est; Cel. Simon (1) hanc speciem in peninsula Malacca inventam dicit.

(1) Matér. pour servir à la faune arachn. de l'Asie mérid. III. Arachn. recueillis

Gen. **Bavia**, SIM., 1877.

51. **B. sex-punctata** (Dol.).

Syn.: 1859. *Salticus sex-punctatus*, Dol., Tweede Bijdr., *cet.*, loc. cit., p. 21.
1859. *Attus* » id., ibid., Tab. IV, fig. 8 et 8a.

Exemplum masculum 9 ½ millim. longum hujus speciei, quae per paene totam Austro- et Indo-Malesiam diffusa videtur et etiam in insulis Pelew vitam degit, in Nias ad Hili Zabobo cepit Cel. Modigliani.

Gen. **Thiania** (C. L. KOCH), 1846.

52. **Th. jucunda**, n., *cephalothorace minus humili, lateribus anterius rectis et parallelis anteriora versus vix angustato, nigro, plaga maxima transversa sub-lunata sub-ferruginea in fundo, et fasciis duabus transversis e squamulis viridi-aeneis (certo modo visis aureis) formatis supra ornato, prima earum frontali, altera pone oculos posticos sita, sub-lunata et in medio latissima, parte thoracica secundum margines laterales fascia squamularum ejusmodi notata quoque; clypei altitudine dimidiam oculi maximi diametrum saltem aequanti; pedibus 1.i paris nigricantibus, basi et tarsis sub-testaceis, reliquis pedibus sub-testaceis, femoribus apice supra nigris; patellis anterioribus in utroque latere, posterioribus modo in latere postico aculeo munitis, tibiis et metatarsis anterioribus, ut metatarsis 3.ii paris, etiam supra aculeatis, metatarsis 4.i paris modo apice aculeatis; abdomine supra in fundo nigro, postice vero pallidiore, et vittis transversis tribus latis e squamulis aeneo-viridibus (aureis) formatis ornato, prima et secunda (hac antice recta) recurvis, tertia recta, apicali; palporum parte tibiali spina extus armata, quae paene recta est et hanc partem longitudine vix superat; bulbo genitali humili, a latere viso subter recto.* — ♂ ad. *Long. circa* 6 *millim.*

MAS. — *Cephalothorax* paullo brevior quam patella + tibia +

. . . dans la presqu'île de Malacca, *cet.*, *in* Bull. de la Soc. Zool. de France, X (1885), p. (20).

metatarsus 4.[i] paris, circa $^1/_4$ longior quam latior, antice leviter rotundatus, lateribus anterius paene usque ad oculos laterales rectis et parallelis (nec concavatis, nec rotundatis), fronte igitur parte thoracica vix angustiore: posterius fere in formam semicirculi rotundatus est, in medio postice truncatus et paullo retusus. Non ita humilis est, dorso a latere viso ante declivitatem posticam sensim parum assurgenti et recto, dein, in parte cephalica, paullo altiori, leviter convexo et anterius paullo proclivi; spatium inter marginem clypei et oculos medios anticos dimidiam eorum diametrum superat vel saltem aequat. Impressio apud (pone) utrumque oculorum posticorum et alia impressio magna in medio pone hos oculos sita distinctae sunt; sulcus centralis ordinarius, antice in hac impressione majore situs, brevissimus. Quadrangulus *oculorum* parum plus $^1/_3$ longitudinis cephalothoracis occupat, fere dimidio latior antice quam longior, et circa dupla oculi lateralis antici diametro latior antice quam postice, ubi paene dupla oculi postici diametro angustior est quam cephalothorax eodem loco. Oculi medii antici paene contingentes inter se et vix longius a lateralibus anticis (quibus saltem duplo majores sunt) quam inter se remoti. Linea recta oculos medios supra tangens laterales parum sub margine superiore secat. Oculi minuti seriei 2.[ae] paullulo longius a basi lateralium anticorum quam a posticis oculis distant. Oculi postici, lateralibus anticis non parum minores, spatio evidentissime (sed non dimidio) majore inter se quam a margine cephalothoracis distant. *Sternum* breviter et inverse ovatum, coxis latius; spatium inter coxas 1.[i] paris labii latitudinem aequat.

Mandibulae directae et parallelae, paene cylindratae, in dorso parum convexae et transversim sat crasse striatae, ad apicem intus paullo impressae, in latere exteriore ad longitudinem sat fortiter rotundatae, apice minus late et paullo oblique rotundato-truncatae; patellis anticis paullo latiores sed multo breviores sunt, circa dimidio longiores quam latiores. Sulcus unguicularis brevis postice, fere in medio, dente singulo armatus est, antice, intus, vero 2 dentibus parvis. Unguis brevis, modo leviter curvatus. *Maxillae* parallelae, labio vix dimidio longiores, extus

inermes; *labium* longius quam latius, lateribus leviter rotundatis apicem anguste rotundato-truncatum versus sensim angustatum. *Palpi* sat breves, clava tibiam 1.^{i} paris latitudine fere aequanti, intus pilis longioribus densis et patentibus vestita. Pars patellaris paullo, non dimidio, longior est quam latior; pars tibialis paullo transversa ejus latitudine paene est, sed extus ea multo, paene duplo, brevior, apice oblique truncata, latere exteriore (breviore) in spinam anteriora versus et foras directam excurrenti: haec spina, quae latitudinem partis tibialis longitudine aequat, a basi sat lata apicem sub-acuminatum versus sensim angustata est, paene recta, summo apice tamen obtuso et paullo deorsum curvato. Pars tarsalis prioribus duabus saltem dimidio latior est iisque conjunctis non parum longior, vix duplo longior quam latior, sub-ovata, in latere interiore fortius quam in exteriore latere rotundata. Bulbus humilis, rotundatus, paullo longior quam latior, a latere visus subter rectus (non triangulus); antice fere in formam circuli sub-excavatus est, hic costa (?) vel procursu quodam nigro, in helicem (gyro singulo) involuto occupatus, posterius laevis. *Pedes* mediocres, 1.^{i} paris paullo robustiores et longiores quam reliqui sex, qui eadem longitudine videntur: pedes 3.^{ii} paris saltem non breviores quam 4.^{i} paris sunt; tibia cum patella 4.^{i} paris vix vel parum longior (certe non brevior) est quam tibia cum patella 3.^{ii} paris. Tibiae 1.^{i} paris circa 5.plo longiores quam latiores sunt et patella circa dimidio longiores. Aculei pedum sat longi, in pedibus 1.^{i} paris paullo fortiores. In femoribus 1.^{i} paris 5 aculeos video; patellae anteriores aculeum utrinque habent, patellae posteriores aculeum modo postice; tibiae anteriores supra 1. 1. vel (2.^{i} paris) 1, subter 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. 1. vel (2.^{i} paris) 1. 1. aculeos habent. Tibiae posteriores aculeo supra carent; metatarsi contra 3.^{ii} paris (qui praeterea non apice tantum aculeati sunt) aculeum supra ostendunt, ut metatarsi anteriores; metatarsi 4.^{i} paris modo aculeos binos apicales habent. *Abdomen* lanceolatum, duplo longius quam latius, sub-depressum.

Color. — *Cephalothorax* nigro-pilosus in fundo niger est, paullo pone oculos posticos plaga transversa in medio latissima, sub-

lunata, sub-ferruginea notatus; supra vitta transversa frontali sat lata paene recta e squamulis aeneo-viridibus vel aureis formata est ornatus, aliaque vitta transversa procurva et sub-lunata, in medio postice paullo dilatata, plagam illam sub-ferrugineam fere tegenti et ex squamulis formata, hac vitta quoque aeneo-viridi vel aurea, et deorsum in latera cephalothoracis continuata; squamulae ejusdem coloris, in cyaneum et albicantem exeuntes, fasciam marginalem praesertim posterius sat latam in lateribus partis thoracicae formant. Annuli angusti circum oculos anticos cinerascentes et ad partem aureo- vel virescenti-micantes sunt; clypeus pilis longis albicantibus est sparsus et in medio et versus genas aeneo-viridi-squamulosus. *Sternum* fuscum, *partes oris* nigrae: mandibulae parce albicanti-pilosae et squamulis paucis cyaneis sparsae. *Palpi* picei, parte femorali testaceo-fusca; sat dense nigro-pilosi sunt toti. *Pedes* fusco-testacei vel -lutei, 1.[i] paris tamen piceo-nigri, coxis, basi femorum subter et tarsis totis fusco-luteis; in reliquis sex pedibus femora apice superius sat late nigricantia sunt. Supra ad magnam partem, praesertim in patellis et apice femorum, squamulis aureis vel aeneo-viridibus tecti sunt pedes. *Abdomen* superius nigricans, postice, inter vittas duas posteriores, paullo clarius, vittis tribus transversis latis aureis vel aeneo-viridibus ornatum, his vittis usque in lateribus continuatis; prima earum marginem dorsi anticum cingit, paullo retro curvata, secunda, paullo pone medium locata, marginem anticum (in medio dorso situm) rectum habet, marginem posticum paullo retro curvatum; vitta tertia apicem dorsi ut plaga sive macula occupat. Latera inferius minus dense aureo- vel aeneo-viridi-squamulosa sunt. Venter sordide fusco-testaceus, pallido-pubescens. *Mamillae* superiores sub-testaceae, inferiores obscuriores.

Lg. corp. 6; lg. cephaloth. $2\,^3/_4$, lat. ej. $2\,^1/_5$, lat. front. paene $2\,^1/_6$; lg. abd. 3, lat. ej. paullo plus $1\,^1/_2$ millim. Ped. I $7\,^1/_2$, II, III et IV 6 millim. longi; pat. + tib. I parum plus 3, pat. + tib. III 2, pat. + tib. IV vix vel parum plus 2, metat. cum tars. IV 2 millim.

Marem singulum adultum in ins. Nias ad Hili Zabobo cepit

Modigliani. Mari *Th.* (*Marptusae*) *demissae*, Thor. [1], valde affinis certe est haec aranea, cephalothorace altiori et anteriora versus vix vel non angustato, clypeo altiori, et bulbo genitali a latere viso subter plano (recto) praesertim distinguenda. *Th. pulcherrimae*, C. L. Koch [2], similis quoque est, praesertim quoad distributionem vittarum cephalothoracis et abdominis, quae in *Th. pulcherrimae* tamen caeruleae dicuntur.

Gen. **Tapinattus**, Thor., 1887.

53. **T. melanognathus** (Luc.).

Syn.: 1835-4 . . *Attus melanognathus*, Luc., *in* Barker-Webb et Berthelot, H. N. d. îles Canaries, II. 2, Anim. Artic., p. 29, Pl. 7, fig. 4-4*b*.

Femina junior *T. melanognathi*, qui fortasse per paene omnes partes saltem calidiores orbis terrarum diffusus est, et etiam in Europa (nonne navibus advectus?) captus fuit, in Sumatra (Siboga) a Modigliani est inventa.

Gen. **Linus**, Peckh., 1885.

54. **L. subvexus**, n., *cephalothorace in fundo cinerascenti-fusco, area interoculari et fascia media longitudinali partis thoracicae pallidioribus, saltem hic illic pube crassa cinereo-alba vestito, clypeo paullo albicanti- et ferrugineo-pubescenti; linea oculos 4 anticos*

[1] **Th. (M.) demissa**, Thor., *cephalothorace patellam + tibiam + $^2/_3$ metatarsi 4.i paris longitudine aequanti, humillimo, paene plano, nigro, plaga maxima sub-lunata ferrugineo-fusca in parte thoracica notato, et squamulis aeneo-aureis munito, quae saltem vittam transversam ad oculos anticos formant; pedibus 1.i paris reliquis paullo robustioribus, piceis vel nigricantibus, basi et tarsis sub-testaceis, reliquis pedibus ad maximam partem sub-testaceis; tibiis et metatarsis anterioribus aculeis multis armatis et, saltem in mare, etiam supra aculeatis: abdomine in fundo nigricanti, macula apicali pallida in dorso, squamulisque aeneo-aureis munito, quae vittas transversas tres formant, anteriores duas recurvas, tertiam brevem rectam in ipso apice dorsi sitam; palpis brevibus, apice intus dense pilosis, spina partis tibialis maris sub-recta et hanc partem longitudine modo aequanti, bulbo a latere viso alto et triangulo; vulva ex area parva oblonga fusca constanti.* — ♂ ♀ ad. *Long.* ♂ 6 $^3/_4$, ♀ *circa* 7 $^2/_3$ *millim.*

Habitat in Sumatra.

[2] Die Arachn., XIII, p. 171, Tab. CCCCLX, fig. 1223.

supra tangenti recta, non deorsum curvata; sterno dense flavo-pubescenti; pedibus, quorum 4.[i] *paris 1.*[i] *paris pedes longitudine superant, nigro-fimbriatis, cinerascenti-fuscis, subter in femoribus dense nigro-annulatis, tibiis saltem posterioribus apice late et plus minus distincte nigricantibus, metatarsis saltem apice anguste nigris; abdomine in fundo saltem posterius in dorso nigricanti et maculis magnis pallidis picto; parte tibiali palporum desuper viso apicem versus sensim angustato, sub-triangulo, e basi lateris exterioris procursum rectum sat gracilem, ab apice vero, subter, procursum fortiorem procurvum emittenti. — ♂ ad. Long. circa 7 millim.*

Mas. — Ad formam mari *L. fimbriati* (Dol.) simillimus est, ita ut descriptio ejus, quam in Stud., *cet.*, II, p. 270, dedi, etiam in hunc marem cadat, paucis exceptis. *Cephalothorax* paullo brevior est quam tibia cum patella 4.[i] paris, paene $^1/_3$ longior quam latior, altissimus, lateribus partis cephalicae superius rectis anteriora versus sensim paullo angustatus, lateribus partis thoracicae rotundatis posteriora versus citius et fortius angustatus, dorso ante oculos posticos praerupte proclivi et plano: ab his oculis ad marginem posticum (spatio duplo longiore fere) eodem modo declive et ad longitudinem levissime convexum est. Clypei altitudo dimidiam diametrum oculi maximi non parum superat. Quadrangulus *oculorum*, non multum plus $^1/_3$ longitudinis cephalothoracis occupans, postice parum plus diametro singuli oculi postici angustior videtur quam cephalothorax eodem loco; linea margines superiores oculorum anticorum tangens recta est, si recte a fronte inspicitur cephalothorax. Oculi postici lateralibus anticis vix minores sunt; oculi 2.[ae] seriei, oculis posticis plus duplo sed non triplo minores, paullulo longius ab iis quam a lateralibus anticis distant. Oculi postici multo longius a margine cephalothoracis quam inter se remoti sunt. Praeterea cephalothorax, oculi et partes oris ut in *L. fimbriato*, ♂, sunt. *Palpi* breves, clava femoribus anticis paene dimidio latiore. Pars patellaris paullo longior quam latior est, pars tibialis ea paullo latior et paullo brevior, sub-transversa, desuper visa postice late rotundata, a basi ad apicem sensim adeo fortiter angustata, ut fere triangula evadat, apice trianguli anteriora versus directo;

a basi lateris exterioris procursum pallidum rectum, sat gracilem, anteriora versus et foras paulloque deorsum directum emittit, qui paene cylindratus est, apice obtusus, et circa duplo longior quam latior; subter paene in medio, sed paullo magis intus, apex partis tibialis procursum etiam crassiorem sed paullo breviorem, apicem obtusissimum versus sensim paullo angustatum, paullo procurvum, deorsum et anteriora versus directum ostendit. Pars tarsalis prioribus duabus conjunctis paene duplo longior est, parte patellari saltem triplo latior, circa dimidio longior quam latior, breviter sub-ovata, basi truncata, apice deflexa, modice convexa; ad basin lateris exterioris in carinam longitudinalem sub-obliquam brevem altam nigram supra procursum exteriorem partis tibialis elevata est. *Pedes* 4.[i] paris longiores quam pedes 1.[i] paris; tibiae omnes fimbriam longam interdum abruptam subter, et fimbriam brevem (vel fimbrias binas) supra habent, patellae fimbriam brevem subter; aculei quoque ut in ♂ *L. fimbriati* diximus sunt. *Abdomen* ad formam ut in eo. *Mamillarum* superiorum art. 2.[s] non brevissimus dicendus, quum circa aeque longus ac latus videatur.

Color. — In exemplo nostro (supra detrito) *cephalothorax* in fundo testaceo-nigricans est, area oculorum et fascia media partis thoracicae, a sulco centrali ad marginem posticum ductae sensim paullo dilatata, pallidioribus, oculis utriusque lateris maculis binis nigris impositis; pube cinereo-albida sat crassa saltem ad partem vestitus est. Clypeus minus dense albicanti- et, versus genas infra, paullo ferrugineo-pubescens est; annuli angustissimi circum oculos anticos saltem inferius flavo-albicantes. *Sternum* fuscum, in medio testaceum, pube densa sat crassa flava tectum. *Mandibulae* fuscae, versus basin ferrugineo- vel rufo-pubescentes. *Maxillae* et *labium* nigricantia. *Palpi* fusco-testacei, dense flavo-pubescentes, parte tarsali macula parva rotunda nigra apice notata. *Pedes* testaceo-fusci, coxis subter nigricantibus, femoribus saltem subter annulis latissimis distinctis tribus nigricantibus praeditis, tibiis posterioribus apice late et plus minus distincte nigricantibus, metatarsis apice anguste nigris et annulo plus minus evidenti medio nigro cinctis, fimbriis et aculeis nigris quoque;

pube nigra tenui vestiti sunt pedes, intermixta alba praesertim subter in femoribus, quae punctis albis ibi sparsa videntur. *Abdomen* supra in fundo anterius sordide testaceo-fuscum vel obscure cinerascens est, posterius nigricans; in hac parte obscuriore, non parum pone medium dorsi, adest macula sat magna triangula vel Λ-formis albicans, et paullo pone eam, ad utrumque latus dorsi, alia macula sat magna albicans magis rotundata, pone has maculas vero linea transversa pallida. Etiam in parte dorsi anteriore (pallidiore) vestigia picturae cujusdam albicantis conspiciuntur. Latera nigricantia albicanti-maculata sunt. Prope basin dorsi remanent vestigia pubescentiae crassae densae albo-cinerascentis; venter niger pube alba paullo variatus et punctatus est. Sat longe ante mamillas quattuor fasciculi minuti lutei, postice albo-limbati, e pube formati et in seriem transversam longissimam recurvam dispositi adsunt, quorum duo medii in ipso ventre, reliqui duo in lateribus abdominis siti sunt; etiam utrinque apud mamillas ejusmodi fasciculum video, et unum alterumve postice in dorso. *Mamillae* ad maximam partem nigrae.

Lg. corp. 7; lg. cephaloth. 3 $^1/_4$, lat. ej. paene 2 $^1/_2$, lat. front. 1 $^5/_6$; lg. abd. 3 $^3/_4$, lat. ej. paene 2 millim. Ped. I 10 $^1/_2$, II 9, III 8, IV 12 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. I 4 $^5/_6$, pat. + tib. III 2 $^1/_3$, pat. + tib. IV 4, metat. + tars. IV paullo plus 5 millim.

Singulum marem detritum hujus speciei, qui pedibus 4.[i] paris pedes 1.[i] paris longitudine superantibus et alia forma partis tibialis palporum facile a mare *L. fimbriati* distingui potest, in Nias ad Hili Zabobo cepit Modigliani. Num mas est *L. labiati*, Thor., ex Birmania?

Gen. **Epocilla**, Thor., 1887.

55. **E. praetextata**, Thor.

Syn.: 1887. *Epocilla praetextata*, Thor. [Viaggio di L. Fea, *cet.*, II], Primo Saggio sui Ragni Birmani, loc. cit., p. 378.

Marem adultum pulcherrimae hujus speciei, antea in Java, Pinang et Birmania inventae, in Nias ad Gunung Sitoli cepit Modigliani. Unguis mandibulae in hoc mare versus apicem supra

sive antice dentem latum brevem ostendit, quem in exemplo typico (ex Java) non video.

Gen. **Maevia** (C. L. Koch), 1848.

56. **M. alternans** (C. L. Koch).

Syn.: 1846. *Hyllus alternans*, C. L. Koch, Die Arachn., XIII, p. 169, Tab. CCCCLX, fig. 1222.

Cel. Modigliani marem adultum in Sumatra (Siboga) invenit. Hoc exemplum pellem nuper exuisse videtur, quum palpos et pedes sordide testaceos (non ad maximam partem nigros) habeat: abdomen ejus quoque sordide testaceum et supra orichalceo-viride dici potest, vittis duabus transversis et apice dorsi nigris. (Vittae inter eas interjectae, ut vittae transversae cephalothoracis, aureae vel orichalceae mihi videntur, ut eas dicit C. L. Koch: certo vero situ aeneo-virides sunt, ut in figura, quam loc. cit. dedit).

Plexippus vittatus, C. L. Koch (1), fortasse femina junior est *Hylli alternantis*, id., ut jam suspicatus est Cel. Simon. — Haec species generi *Thianiae*, C. L. Koch, nullo modo adscribi potest: *Thiania* enim, cujus typus est *Th. pulcherrima*, C. L. Koch, generibus *Baviae* et *Acompsi* prope accedit, corpore depresso aliisque rebus a *Maeviis* differens, modo vittis transversis metallice micantibus cum *M. alternanti* aliisque conveniens.

Gen. **Cyrba**, Sim., 1876.

57. **C. Algerina** (Luc.).

Syn.: 1842. *Salticus algerinus*, Luc., Explor. de l'Algérie, Anim. Artic., I, p. 148, Pl. VI, fig. 6.
1867. *Attus leporinus*, L. Koch, Zur Arachn.- u. Myriap.-fauna Süd-Europas, *in* Verhandl. d. zool.-bot. Gesellsch. in Wien, XVII (1867), p. 874 (18). [= ♀].
1867. » *armiger*, id., ibid., p. 876 (20) [= ♂].
1869. » *algerinus*, Sim., Monogr. d. espèces europ. de la fam. d. Attides, *in* Ann. de la Soc. Ent. de France, 4.e Sér., VIII, p. 547 (41).
1869. » *diversipes*, id., ibid., p. 550 (44).

(1) Die Arachn., XIII, p. 125. Tab. CCCCLIII, fig. 1185.

Syn.: 1872. *Salticus cephalotes*, Cambr., General List of the Spid. of Palestine and Syria, *in* Proceed. of the Zool. Soc. of London, 1872, p. 321 (*sec.* Simon).
1875. *Euophrys ocellata*, Croneberg, *in* Fedtschenko, Puteschestwie w Turkestan, *cet.*, Pauki (Araneae), p. 48, Tab. V, fig. 35.
1876. *Cyrba algerina*, Sim., Les Arachn. de France, III, p. 167.
1887. *Stasippus inornatus*, Thor. [Viaggio di L. Fea, *cet.*, II], Primo Saggio sui Ragni Birmani, loc. cit., p 375.

Feminam variabilissimae hujus speciei, quae sulco ordinario centrali cephalothoracis longissimo et armatura insolita sulci unguicularis mandibularum (vid. Thor., loc. cit.) notabilis est, in Sumatra (Siboga) invenit Modigliani. Ad formam plane cum exemplis Birmanicis a me descriptis convenit, pedibus 4.i paris modo paullo longioribus: cephalothorax patellam + tibiam hujus paris vix longitudine superat. Color quoque paene ut in exemplis illis est, pube cephalothoracis et pedum modo obscurius cinerascenti-fusca, pedibus vix evidenter nigricanti-annulatis, tibiis et femoribus anterioribus praesertim densius nigro-pubescentibus; palpi fuligineo-fusci sunt, parte tarsali magis testacea, parte tibiali modo pilis nigris vestita; pars tarsalis supra, summa basi nigro-pilosa et apice cinerascenti-pubescenti exceptis, luteo-pilosa est. (Color abdominis in hoc exemplo deperditus est).

Cyrba Algerina, in partibus circum-mediterraneis Europae, Asiae et Africae praesertim frequens, per magnam partem Asiae centralis et meridionalis diffusa quoque est, in Turkestania, in Birmania, in Sumatra et, secundum Simon, in India (ad Wagra-Karoor) inventa. Exempla ex Gallia meridionali (a Cel. Simon communicata) et ex insulis Balearium possideo; exemplum « *Euophryis ocellatae* », ex Samarkand, benigne ad me misit Cel. Croneberg.

Gen. **Plexippus** (C. L. Koch), 1846.

58. **P. Paykullii** (Aud. *in* Sav.).

Syn.: 1827. *Attus Paykullii*, Aud., *in* Savigny, Descr. de l'Égypte, 2.e Éd., XXII, p. 172, Pl. VII, fig. 22.

Exempla duo feminea in Nias capta sunt, adultum ad Hili Zabobo, junius ad Gunung Sitoli. Per fere totum Orbem quem vocant Antiquum, partibus frigidioribus exceptis, haec species, quae etiam Europae incola est, sparsa videtur.

Gen. **Hyllus** (C. L. Koch), 1846.

59. **H. Diardii** (Walck.).

Syn.: 1837. *Attus Diardi*, Walck., H. N. d. Ins. Apt., I, p. 160.
1846. *Plexippus mutillarius*, C. L. Koch, Die Arachn., XIII, p. 93, Tab. CCCCXLVII, fig. 1155 et 1156.
1886. *Hyllus Diardi*, Sim., Arachn. recueillis . . . dans le royame de Siam, au Cambodge et en Cochinchine, *in* Actes de la Soc. Linn. de Bordeaux, XL, p. (5).

Feminae duae adultae ad Hili Zabobo, juniores duae ibidem et ad Lelemboli in Nias sunt captae. Etiam in Cochinchina, in Siam, ut et in ins. Bintang, Java et Sumatra inventa fuit haec species.

Gen. **Telamonia**, Thor., 1887.

60. **T. Peckhamii**, Thor.

Syn.: 189 . . *Telamonia Peckhamii*, Thor., Spindlar fr. Nikobarerna, *cet.*, loc. cit.

Mas adultus hujus speciei, adhuc modo in insulis Nicobarium, ubi non rara videtur, collectae, in Sumatra (Siboga) a Modigliani captus est.

Gen. **Hasarius** (Sim.), 1870.

61. **H. Elisabethae**, n., *cephalothorace altissimo, nigro-piceo, nigro-virescenti-pubescenti, macula* (?) *alba in medio inter oculos posticos notato, apud* (*pone*) *oculos laterales anticos rubro-pubescenti, annulis circum oculos anticos rubris quoque, clypeo in medio albo-piloso; pedibus luteo-testaceis, tibiis, patellis et basi metatarsorum pedum anteriorum infuscatis et subter longe et dense nigro-pilosis; abdomine angustius ovato, dorso* (*quod in fundo sordide testaceum est et utrinque umbris vel fasciis paucis obliquis nigris, supra anum in lineolas transversas retro fractas unitis notatum*) *pube densa virescenti-flava vel sub-aurea tecto, ventre nigro.* — ♂ ad. *Long. circa* 8 $^1/_2$ *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* aeque longus ac patella + tibia + $^2/_3$ metatarsi 4.[i] paris, vix dimidio longior quam latior, a medio ad oculos anticos lateribus modo levissime rotundatis et parallelis

anteriora versus parum angustatus, pone oculos posticos lateribus primum leviter, dein fortius rotundatis posteriora versus sat fortiter angustatus, postice saltem duplo angustior quam antice et hic leviter rotundatus (nec truncatus neque emarginatus); frons in medio late truncata, angulis (supra oculos laterales anticos) oblique truncatis. Altissimus est cephalothorax, dorso a latere viso a margine postico usque ad oculos posticos praerupte assurgenti, primum (in declivitate postica) recto, dein fortiter convexo; ante oculos posticos sat fortiter proclive est et modice convexum: dorsum ipsum igitur supra ad longitudinem sat fortiter et aequaliter convexum est et in declivitatem posticam praeruptam sine ullo limite transiens. Latera cephalothoracis sub oculis posticis recta et directa sunt; altitudo clypei $^1/_3$ diametri oculi maximi circiter aequat. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum sat fortes; utrinque, paullo pone oculum 2.ae seriei, sat fortiter impressus est cephalothorax, et ante hunc oculum, magis intus, in tuberculum magnum omnium humillimum elevatus. In medio paullo pone oculos posticos impressionem levem transversam recurvam ostendit cephalothorax et in ea sulcum ordinarium centralem brevissimum. Quadrangulus *oculorum* circa $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat; paene rectangulus est, parum latior antice quam postice (certe non latior postice quam antice), circa $^1/_3$ latior quam longior et modo paullulo angustior postice quam cephalothorax eodem loco. Oculi medii antici magni, lateralibus anticis vix duplo majores, et ab iis spatiis modo parvis separati; linea recta eos supra tangens laterales non parum sub margine superiore secat. Oculi parvi 2.ae seriei paullulo longius ab oculis lateralibus anticis quam a posticis oculis remoti sunt. Oculi postici magni aeque longe a margine cephalothoracis atque inter se distare videntur. *Sternum* duplo longius quam latius, coxis vix latius; spatium inter coxas 1.i paris labii latitudinem fere aequat.

Mandibulae directae et parallelae, sub-cylindratae, patellas anticas longitudine aequantes iisque parum crassiores, in dorso ad longitudinem sat leviter convexae, transversim sat subtiliter striatae, paene glabrae; sulcus unguicularis postice dente singulo,

antice intus dentibus duobus armatus est. Unguis mediocris. *Maxillae* ovatae, parallelae, fere duplo longiores quam latiores, labio saltem dimidio longiores; *labium* paullo longius quam latius, lateribus leviter rotundatis apicem rotundatum versus sensim paullo angustatum. *Palpi* sat longi et graciles; pars patellaris saltem dimidio longior est quam latior, cylindrata; pars tibialis ejus forma et latitudine est, sed duplo longior quam latior, apice extus spina gracili recta porrecta nigra armata, quae latitudinem partis tibialis longitudine paene aequat; pars tarsalis parte tibiali parum longior est sed versus basin ea paene dimidio latior, tibiis anticis circa dimidio angustior, anguste sub-ovata, apice obtusa. Bulbus parvus, humilis, rotundatus; e medio lateris interioris spinam gracillimam, paene rectam, ipsum bulbum longitudine fere aequantem, anteriora versus directam emittit. *Pedes* sat longi et, anteriores praesertim, sat robusti; in pedibus anterioribus, praesertim 1.ⁱ paris, tibia tota, patella apice, et metatarsus summa basi pilis longis densis deorsum directis vestita vel fimbriata sunt. Patellae omnes tibia non parum breviores sunt, patellae 1.ⁱ paris tibia circa duplo breviores; metatarsi anteriores basi tibia cylindrata circa dimidio angustiores sunt. Aculeis crebris mediocribus armati sunt pedes; femora circa 8 aculeos habent; patellae omnes aculeo utrinque munitae sunt; tibiae supra aculeis carent. Tibiae anteriores subter aculeos 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. 2. habere videntur, metatarsi anteriores subter 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeos. Metatarsi posteriores apice, in medio et ad basin aculeati sunt. *Abdomen* longius ovatum, posteriora versus angustato-acuminatum. *Mamillae* mediocris longitudinis.

Color. — *Cephalothorax* in fundo nigro-piceus est totus, pilis nigris sparsus: pube tenui appressa nigro-virescenti saltem posterius in dorso et in lateribus vestitus est, remanentibus vestigiis ejusmodi pubescentiae etiam ad marginem frontalem: in medio vero inter oculos posticos pubescentia crassior maculam (fasciam?) albam format; apud (pone) utrumque oculum lateralem anticum rubro-pubescens est cephalothorax, annulis circum oculos anticos rubris, clypeo nigro-piceo, in medio dense

albo-piloso et -pubescenti, in lateribus paene glabro. *Sternum* cum coxis, *maxillis* et *labio* (his apice pallidis) piceum est, *mandibulae* nigro-piceae. *Palpi* fusco- vel ferrugineo-testacei, nigro- et paullo albo-pilosi, apice partis tarsalis dense cinerascenti-pubescenti. *Pedes*, coxis exceptis, ferrugineo- vel luteo-testacei; in pedibus anterioribus tamen tibiae nigricantes sunt, et patellae et basis metatarsorum piceae, pilis longis densis sub his partibus obscurioribus nigerrimis; etiam praeterea pedes nigro-pilosi (pedes saltem 1.ⁱ paris paullo albo-pilosi quoque) sunt, supra in femoribus flavo-pubescentes; aculei nigri. *Abdomen*, quod in fundo, supra et in lateribus, sordide luteum vel testaceum est et utrinque in dorso umbris obliquis tribus nigris, supra anum vero serie brevi lineolarum paucarum retro fractarum nigrarum notatum, superius pube densa sat crassa virescenti-flava vel sub-aurea (hic illic rufescenti) vestitum est et pilis pallidis nigrisque in dorso sparsum. Latera in fundo fasciam longitudinalem subobliquam et sursum curvatam nigram ostendunt. Venter sat late niger est, *mamillae* praesertim subter nigrae.

Lg. corp. 8 $^1/_2$; lg. cephaloth. 4 $^1/_2$, lat. ej. parum plus 3, lat. front. 3; lg. abd. 4, lat. ej. 2 $^1/_2$ millim. Ped. I 8 $^1/_2$, II 8 $^1/_3$, III 9 $^2/_3$, IV 9 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. I 3 $^1/_2$, pat. + tib. III 3 $^1/_4$, pat. + tib. IV et metat. + tars. IV 3 millim.

Marem supra descriptum ex Siboga Sumatrae domum reportavit Modigliani. Generis *Habrocesti*, Sim., haec species videtur, quam nomine Clar.^{mae} Elisabethae Peckhamiae, arachnologiae cultricis eximiae, ornavi.

62. **H. sannio** (Thor.).

Syn.: 1877. *Plexippus sannio*, Thor., Studi, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 617 (277).
1882. » » , Van Hass., Midden Sumatra, *cet.*, Aran., p. 48, Pl. V, fig. 15.
1885. *Ergane coronata*, Sim., Arachn. recueillis par M. Weyers à Sumatra (1.er envoi), *in* Comptes-rendus de la Soc. Ent. de Belgique, 5 mars 1885, p. (4).
1887. *Hasarius coronatus*, Thor. [Viaggio di L. Fea, *cet.*, II], Primo Saggio sui Ragni Birmani, loc. cit., p. 404.

Marem singulum in Sumatra (Siboga) cepit Modigliani; mares duo nuper in ins. Pinang a Cel. Workman inventi sunt. — Post-

quam non pauca hujus speciei exempla vidi, certior factus sum, *H.* (*E.*) *coronatum* a *H. sannione* non esse diversum: satis enim variat haec species, et non tantum ad formam mandibularum. In exemplo ex Siboga procursus ille conicus, in quem apex lateris exterioris mandibulae est productus, parum expressus est; in exemplo parvo (4 millim. longo) ex ins. Pinang valde obsoletus est, et mandibula igitur forma plane ordinaria; in altero exemplo ex eadem insula contra fortissimus est hic procursus, ut in figura a Cel. Van Hasselt loc. cit. data. Etiam palpi ad longitudinem non parum variant: pars patellaris interdum modo dimidio, interdum duplo longior est quam latior. Pictura (pubescentia) aut alba aut flava est; fasciae duae incurvae, quae partem cephalicam supra includunt, saepe apice postico fortiter dilatatae sunt. Interdum declivitas postica cephalothoracis lineolis duabus parallelis albis (flavis) est notata. — Praeter in Sumatra et in Pinang saltem in Celebes et in Birmania vitam degit *Hasarius sannio.*

63. **H. ensifer** (Thor.).

Syn.: 1877. *Plexippus ensifer*, Thor., Studi, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 606 (266).
1882. *Thorellia ensifera*, Keyserl., *in* L. Koch, Die Arachn. Austral., p. 1353, Tab. CXVI, fig. 1-2b.

Mares tres *H. ensiferi* in Nias collegit Modigliani, duos ad Hili Zabobo, unum ad Bawo Lowalani; in ins. Pinang mas hujus speciei a Workman est inventus. — *Ergane*, L. Koch, et *Saitis*, Sim., ad quod genus Keyserling (loc. cit., p. 1434) *H. ensiferum* retulit, modo eo differre videntur, quod metatarsus cum tarso 4.i paris in *Ergane* paullo longior, in *Saiti* contra *non* longior est quam tibia cum patella ejusdem paris. — *H. ensifer* per magnam partem Indo- et Austro-Malesiae diffusus videtur, etiam in insulis Upolu et Huahine Australiae captus.

64. **H. virens**, Thor.

Syn.: 189 . . *Hasarius virens*, Thor., Spindlar fr. Nikobarerna, *cet.*, loc. cit.

Tria exempla feminea hujus speciei, quae etiam in ins. Pinang capta fuit, in Sumatra (Siboga) invenit Modigliani.

Ordo **SCORPIONES**.

Subordo **DIONYCHOPODES**.

Ser. **NEOSCORPII**.

Fam. BUTHOIDAE.

Gen. **Isometrus** (HEMPR. et EHR.), 1829.

65. **I. maculatus** (De Geer).

Syn : 1778. *Scorpio maculatus*, DeGeer, Mém. pour servir à l'Hist. Nat. d. Insectes, VII, p. 346, Pl. 41, fig. 9 et 10.
1885. *Isometrus maculatus*, Keyserl., *in* L. Koch, Die Arachn. Austral., II, p. 6, Tab. I, fig. 3 et 4;
1888. » » , Thor., Pedipalpi e Scorpioni Malesi, *cet.*, loc. cit., p. 405 (83).
[*ubi alia synon. videantur*].

Feminam *I. maculati* in Sumatra (Siboga) cepit Modigliani. Excepto in Europa hic scorpio in omnibus partibus orbis terrarum vitam degit.

Fam. PANDINOIDAE.

Subfam. **PANDININI**.

Gen. **Palamnaeus**, THOR., 1876.

66. **P. liophysa**, Thor., *niger vel piceus, colorem virescentem plus minus sentiens, vesica ferrugineo-fusca vel -picea, abdomine subter paullo pallidiore, laminis genitalibus et pectinibus testaceo-fuscis, tarsorum articulo ultimo ferrugineo; cephalothorace in* ♀ *segmenta caudae* 1.^{m} + 2.^{m} + $^{1}/_{3}$ 3.^{ii}, *in* ♂ 1.^{m} + 2.^{m} + $^{1}/_{5}$ 3.^{ii} *longitudine circiter aequanti, ad maximam partem granulis parvis sat densis consperso, oculis dorsualibus in medio longitudinis ejus sitis, scutis dorsualibus abdominis excepto antice granulis minutissimis sat raris sparsis, scuto ultimo toto eodem modo sed paullo fortius et inaequaliter granuloso, postice tuberculis duobus sat parvis granulosis, et utrinque, inter ea et marginem lateralem, serie inaequali brevi granulorum paucorum munito; cauda cephalothorace in* ♀

circa $3\,^2/_5$, *in* ♂ *eo circa* $3\,^9/_{10}$ *longiore, segmento* 1.° non *latiore quam longiore* (*plerumque paullo longiore quam latiore*), *segmentis* 4 *anterioribus* 8 *carinis praeditis, quorum* 4 *inferiores in segm.* 1.°-3.° *laeves vel parum inaequales sunt, in segm.* 4.° *vero evidenter granulosae, carinis superioribus horum segmentorum modice granulosis, segm.* 1.° *et* 2.° *serie abbreviata granulorum in medio inter carinas laterales superiores et inferiores praeterea munitis et supra quoque, utrinque, paullulo granulosis, his* 4 *segmentis praeterea laevibus; segm.* 5.°, *in marginibus superioribus sat subtiliter et inaequaliter granuloso-dentato, in lateribus carina postice abbreviata et fere eodem modo granulosa munito* (*lateribus praeterea laevibus*), *subter vero carinis tribus fortibus et sat fortiter dentatis praedito, spatiis inter eas modo granulis paucissimis sparsis; vesica laevi, modo ad basin subter granulis paucis humilibus plerumque sparsa; palpis in* ♀ *cephalothorace paene* $3\,^1/_2$, *in* ♂ *fere* 5.*plo longioribus, manibus eorum supra distinctissime et sat crasse areolato-rugosis, costis longitudinalibus satis evidentibus* (*in* ♂ *evidentissimis*) *munitis, intus granulis acuminatis crasse granulosis, digitum mobilem longitudine fere aequantibus, in* ♀ *dimidio longioribus quam latioribus et cum digitis reliquo palpi paullo brevioribus, in* ♂ *paene duplo longioribus quam latioribus et cum digitis reliquo palpi non parum* ($^1/_4$-$^1/_5$) *brevioribus; digito mobili manum longitudine aequanti vel* (♂) *parum superanti; dentibus pectinum* (11) 12-15. — ♂ ♀ ad. *Long.* ♂ *circa* 100, ♀ *usque ad* 132 *millim.*

Syn.: 1888. *Palamnaeus liophysa,* Thor., Pedipalpi e Scorpioni Malesi, *cet., in* his Ann., Ser. 2, VII, p. 415 (91) [= *juniores, haud dubie*].

In exemplo singulo adulto masculo, quod hujus speciei vidi, humerus supra inter carinas plane laevis est; in femina contra hic, praesertim versus basin, granulis nonnullis inaequalibus est sparsus. Oculi dorsuales paene semper aeque longe a margine cephalothoracis postico atque a linea recta margines loborum frontalium tangenti distant. Ipsa vesica saltem in feminis subter ad basin plerumque granula pauciora humillima in series longitudinales digesta ostendit: praeterea laevissima est (excepto quod, ut fere semper, in margine fortissime recurvo areae illius

ano adjacentis granulosa et, utrinque ad basin, dente forti armata est). — Laminae genitales *conjunctim* antice leviter rotundatae sunt, posteriora versus sensim angustatae; et utraque earum per se igitur triangula est et evidenter longior quam latior, apice retro directo. (In *P. Petersii*, e. gr., saltem in exemplo ex Birmania, laminae genitales et antice et postice conjunctim fere aequaliter et leviter rotundatae sunt, et utraque lamina per se dimidiato-elliptica, aeque lata ac longa). In junioribus tamen forma harum laminarum variare videtur.

♀ *ad.* — Lg. corp. 132 millim. Lg. cephaloth. 18 $^1/_2$, lat. ej. 18 millim. Cauda 62 $^1/_2$ millim. longa: segm. ejus I lg. paullo plus 7, lat. 7; V lg. 14 $^1/_2$, lat. 5; VI lg. 15: lg. vesicae 9 $^1/_2$, lat. ej. paene 6, alt. ej. 5 millim. Palpi 72 millim. longi: hum. 16, brach. 16 $^1/_2$, man. cum. dig. 35 millim. Lg. man. max. 20, lat. ej. max. 13 $^1/_2$, lat. ej. min. 10; lg. man. post. 15 $^1/_2$, lg. man. aversae 14, lg. dig. mob. 20 millim.

♂ *ad.* — Lg. corp. paene 100 millim. Lg. et lat. cephaloth. paullo plus 13 millim. Cauda 50 $^3/_4$ millim.: segm. ej. I lg. 5 $^1/_2$, lat. 5 $^1/_2$; segm. V lg. 11 $^3/_4$, lat. 4; segm. VI lg. 12 $^1/_2$: lg. vesicae paene 8, lat. ej. paullo plus 4 $^1/_2$, alt. ej. paullo plus 4. Palpi 63 $^1/_2$ millim. longi: hum. 15 $^1/_4$, brach. 16, man. c. dig. 28 $^1/_2$; lg. man. max. 15 $^1/_2$, lat. ej. max. 8 $^1/_2$, lat. ej. min. 6 $^1/_2$, alt. ej. paullo plus 5; lg. man. post. 13 $^1/_2$, lg man. aversae 11 $^1/_2$; lg. dig. mob. 16 millim.

De *junioribus* vid. Thor., loc. cit. — In exemplis *pullis* (a partu recentibus), circa 28 millim. longis, cauda circa 9 millim. longa,




Fig. 1.




Fig. 2.

Palamnaeus liophysa, Thor., pullus a partu recens.

Mandibulae desuper visae. Mandibulae a latere inferiore visae.

color, oculis nigris exceptis, albicans est; latus exterius-anterius (apice excepto) digiti mandibularum mobilis (qui, ut immobilis, dentibus caret) in lobum maximum oblongum deorsum curvatum vel subter ad longitudinem excavatum et in margine rotundato antico leviter in formam trianguli incisum dilatatum est, hic digitus desuper visus ita quasi galea antice munitus. In alio exemplo totus digitus quasi vesica oblonga, antice rotundata, subter plana et hic in sulcum longitudinalem incurvum exarata inclusus dici potest, ipso digito paullo pellucenti (1). Utrinque in medio scutum dorsuale abdominis ultimum procursu parvo crasso sat longo sursum (vel sursum et retro) directo — quasi sacculo parvo plus minus compresso — est munitum: etiam segmenta




Fig. 3.




Fig. 4.

Palamnaeus liophysa, Thor., pullus a partu recens.

Pars posterior corporis desuper visa.

Pars posterior corporis a latere visa.

caudae 1.^{m}-4.^{m} ejusmodi procursibus binis pellucidis sed minoribus et gradatim magnitudine decrescentibus praedita sunt! An organa (vesicae) *respirationis* embryonalia esse possunt hi procursus? Spiracula adhuc clausa videntur. — Oculi terni laterales fere in formam trianguli conferti sunt; procursus, quam vocant maxil-

(1) In « *Butho afro* » (*Pandino africano* (Linn.) Thor.?) mandibulae embryi procursum longum gerunt; vid. Duvernoy, Fragments s. les organes de la génération de divers Animaux, *in* Mém. de l'Institut, XXIII (1853), p. 105, Pl. V, fig. 2, 10 et 14 (sec. Metschnikoff).

lares pedum 2.i paris (*prosternum*, Marx [1]), articulatione vera, non modo sulco, a coxis horum pedum separati videntur. Tarsi apice obtusi adhuc unguiculis liberis carent, qui tamen sub cute pellucent.

Cel. Modigliani exempla feminea adulta sat multa et masculum adultum singulum in Nias ad Gunung Sitoli et Lelemboli collegit. Cum iis tria juniora cepit, quae hujus certe sunt speciei, et quae ab exemplo « *P. liophysae* » Thor., distinguere nequeo; quam ob rem credo, speciem illam Sumatranam nihil nisi juniores speciei Niasensis jam a me adumbratae esse. *Pullulos*, de quibus supra locutus sum, ad Lelemboli et Fadoro in Nias invenit Modigliani.

Gen. **Hormurus**, Thor., 1876.

67. **H. Australasiae** (Fabr.).

Syn.: 1775. *Scorpio Australasiae*, Fabr., Syst. Ent., p. 399 (= *forma princip.*).
1888. *Hormurus Australasiae*, Thor., Pedipalpi e Scorpioni Malesi, *cet.*, loc. cit., p. 414 (95) [*ubi cet. syn. videantur*].

Cel. Modigliani exempla pauca hujus scorpionis ad Gunung Sitoli, Lelemboli et Bawo Lowalani in ins. Nias cepit, et singulum ad Padang in Sumatra. Ad var. *complanatum*, C. L. Koch, omnia referenda videntur: in exemplis ex Nias caudae segm. 1.m apice supra aut impressum aut integrum est, segmenta vero 2.m–4.m supra evidenter canaliculata; in exemplo ex Padang segm. 1.m apice integrum (neque impressum nec canaliculatum) est, segm. 2.m apice paullo impressum, et 3.m et 4.m canaliculata. — Manus palporum hujus speciei ad magnitudinem satis variat: ex duobus exemplis ad Bawo Lowalani captis alterum manum cum digitis saltem aeque longam ac segmenta caudae 5 anteriora conjunctim habet, in altero manus cum digitis

[1] Vid. Marx, On the Morphology of Scorpionidae, *in* Proceed. of the Entom. Soc. of Washington, I (1888), p. 108. — Procursus maxillares pedum 1.i paris, qui procursus etiam in embryis sine articulatione cum coxis pedum 1.i paris uniti sunt, modo impressione laevi ab iis separati, Cel. Marx *labium* repraesentare credit.

segmenta caudae 4 prima conjuncta non ita multo longitudine superat.

H. Australasiae species est per fere totam Asiam meridionalem et Australiam diffusa.

Ordo **OPILIONES.**

Subordo **PALPATORES.**

Fam. PHALANGIOIDAE.

Subfam. **GAGRELLINI.**

Gen. **Gagrella** (Stol.), 1869.

68. **G. Niasensis**, n., *trunco supra omnium subtilissime granuloso, cum spina singula scuti dorsualis nigro, cephalothoracis parte anteriore plerumque* Λ *magno albo* (*vel interdum modo maculis paucis parvis albis*) *signata et in lateribus plus minus albo-pulverulenta; tuberculo oculorum alto, supra laevi; scuto dorsuali maculis duabus magnis albis antice ornato, et pone eas ordinibus duobus longitudinalibus macularum parvarum albarum, limbo postico scuti et segmentorum insequentium saepe macula fusco-lutea utrinque notato; lateribus abdominis et limbo postico segmentorum ventralium plerumque sub-luteis quoque, ventre praeterea cum coxis nigro et materia densa alba vel cinerascenti tecto; mandibulis luteo-flavis, palpis luteis, apice pallidioribus, parte tibiali vix vel non triplo longiore quam latiore; pedibus longissimis, nigricantibus.* — ♂ ♀ ad. *Long.* ♂ *circa* $4\,{}^1/_2$, ♀ *circa* $6\,{}^1/_5$ *millim.*

Femina. — *Truncus* forma ordinaria, fortiter convexus, supra subtilissime et densissime granulosus vel potius coriaceus, opacus, cephalothoracis parte anteriore paullo crassius, attamen subtiliter et densissime, granulosa; venter cum coxis sub materia sub-cerea, quae has partes tegit (et quae picturam albam supra in trunco format), saltem ad partem subtiliter granulosus est. *Procursus supra-mandibulares* porrecti, conici, subtiliter granulosi, arcte sibi adjacentes. *Tuberculum oculorum* reclinatum et altum est, supra plane laeve et ad longitudinem sulcato, sulco longo et profundo,

inferius vero subtilissime granulosum; antice utrinque apud oculos, magis intus et infra, tuberculum humillimum nitidissimum formare quasi videtur; a fronte visum basin versus sensim sat fortiter angustatum est et aeque longum ac latum supra; a latere visum basin versus sensim non parum angustatum est, paullo altius quam latius supra (ubi convexum est), latere anteriore recto, posteriore paullo rotundato sive convexo. Spatium inter *oculos* eorum diametro non parum est majus: spatium, quibus oculi a basi tuberculi (a latere visi) distant, eorum diametro evidentissime majus est. Spina singula dorsualis mediocri longitudine est, sat gracilis, a basi non multo crassa sensim angustata et acuminata, paullo inaequalis sed vix granulosa.

Mandibularum art. 1.[s] desuper visus paene duplo longior quam latior est, laevis et nitidus. *Palpi* non longi, graciles; pars femoralis, quae partes duas insequentes longitudine paullulo superat, iis paullo angustior est, parte tarsali paullulo brevior et crassior, subter granulis parvis densis obsita. Pars patellaris desuper visa a basi ad apicem sensim paullo dilatata est, paullo plus duplo longior quam latior apice; angulum interiorem apicis paullulo prominentem habet, non vero in ramulum productum. Ut pars tibialis, praesertim in lateribus spinulis omnium minutissimis dense conspersa est pars patellaris. Pars tibialis desuper visa parte patellari paullulo brevior vel saltem non longior est, cylindrata, circa duplo et dimidio, vix triplo, longior quam latior. Pars tarsalis gracilis, a basi ad apicem sensim paullulo incrassata. Unguiculus pectinato-dentatus. *Pedes* gracillimi et longissimi (2.[i] paris trunco circa 19.plo longiores), in femoribus spinulis minutis sparsi; metatarsi articulationibus spuriis sunt muniti.

Color. — *Truncus* supra cum tuberculo oculorum et spina nigerrimus est, his exceptis. Pars anterior *cephalothoracis* Λ maximo plus minus crasso albo, saepe paullo nigro-striato vel -punctato, tuberculum oculorum postice includenti, ornata est, et praeterea interdum utrinque plus minus late albo-pulverulenta: saepe tamen hoc Λ caret, ejus loco modo maculis parvis albis (2 paullo ante tuberculum oculorum, 2 ad marginem frontalem) notata.

Pars posterior cephalothoracis plerumque utrinque macula parva alba est munita, et etiam magis versus margines laterales paullo albo-pulverulenta. Scutum dorsuale *abdominis* antice versus latera maculis duabus magnis albis paullo oblongis, extus subrotundatis, intus paullo oblique truncatis vel emarginatis, et serie transversa paullo obliqua punctorum paucissimorum nigrorum sub-geminatis ornatum est: pone eas sequuntur series duae parallelae macularum parvarum quaternarum albarum, ad marginem posticum scuti dorsualis et in segmentis insequentibus liberis locatarum. Tota haec pictura alba, quae interdum magis flavens est, e materia sub-cerea est formata: praeterea vero scutum ad angulos anticos paullo luteo-variatum est et, ut segmenta insequentia, utrinque ad marginem posticum macula lutea plus minus evidenti notatum. *Venter* niger cum coxis materia densa alba vel cinerascenti vestitus est; segmenta ejus saltem posteriora, ut latera abdominis sub scuto, plus minus evidenter luteo-limbata sunt. *Mandibulae* totae luteo-flavae. *Palpi* plus minus obscure lutei, parte tarsali flaventi. *Pedes* nigri vel picei, apicem versus plerumque paullo clariores, interdum magis fuliginei, apicem versus sensim clarioribus, sordide testaceis fere, coxis, trochanteribus et geniculis nigris.

Mas a femina parum nisi trunco minore et pedibus longioribus (2.ⁱ paris cephalothorace circa 26.plo longioribus) differt. *Color* ejus idem est atque in femina.

♀. — Lg. trunci 6 $^1/_5$, lat. ej. paene 4 millim. Lg. art. 2.ⁱ mandib. circa 1 $^5/_6$; lg. palp. circa 4 $^1/_2$ millim. Ped. I 48 $^1/_2$ (fem. 10 $^1/_2$), II 100 (fem. paullo plus 23), III 47 (fem. 9 $^1/_4$), IV 64 (fem. 13 $^1/_6$) millim. longi.

♂. — Lg. trunci 4 $^1/_2$, lat. ej. 3 millim. Lg. art. 2.ⁱ mandib. circa 1 $^5/_6$; lg. palp. circa 4 millim. Ped. I 54 (fem. 10 $^1/_2$), II 118 (fem. 22 $^1/_2$), III 50 $^1/_2$ (fem. 10 $^1/_4$), IV 71 (fem. 13 $^1/_2$) millim. longi.

Exempla pauca in Nias ad Hili Zabobo et Bawo Lowalani collegit Modigliani.

Subordo **LANIATORES.**

Fam. EPEDANOIDAE.

Gen. **Babrius** [1], N.

Areae quinque partis abdominalis scuti dorsualis et segmenta libera proxime insequentia serie transversa granulorum vel denticulorum praedita, abdomine praeterea supra dentibus majoribus vel spinis saltem 2-3 armato. Palpi mediocri crassitie, trunco longiores. Pedes longi (2.^{i} paris trunco circa 4-5.plo longiores). Tarsi 2.^{i} paris ex . . . 18 . . ., reliqui tarsi ex . . . 6-7 . . . articulis formati. Praeterea notae hujus generis eaedem sunt ac generis *Buparis*, Thor.: Vid. Thor. [Viaggio di L. Fea, *cet.*, XXI], Aracn. Artrog. Birmani, *cet.*, in his Ann. Ser. 2.^{a}, VII, p. 682 (166).

Typus: *B. murcidus*, n.

(In *Bupare* granula vel dentes, qui in dorso abdominis series transversas formant, omnes ejusdem formae fere sunt, non cum spinis vel dentibus reliquos longitudine multo superantibus mixti; palpi et pedes multo breviores quoque sunt quam in *Babrio*, pedes 2.^{i} paris, e. gr., trunco non multo plus triplo longiores).

69. **B. murcidus**, n., *trunco supra nigricanti, dentibus et granulis omnibus flavis, parte cephalothoracica scuti dorsualis granulis paucioribus sparsa et in tuberculo oculorum humillimo spinis brevibus (sive dentibus longis) duabus instructa; abdomine spinis tribus ejusmodi armato, duabus erectis in area* 2.^{a} *partis abdominalis scuti, tertia, retro directa, in medio segmenti dorsualis liberi* 3.^{ii} *sita, areis scuti et segmentis insequentibus praeterea serie transversa granulorum praeditis, scuto secundum margines laterales serie longa densa granulorum majorum munito quoque; mandibulis et palpis sub-testaceis, plus minus nigro-variatis, pedibus nigricantibus et nigro-testaceis, plus minus pallido-variatis. — Long. trunci circa* 3 $^{3}/_{4}$ *millim.*

[1] Βαβριος, nomen propr. person.

Truncus inverse sub-ovatus, vix dimidio longior quam latior, antice late truncatus, posteriora versus usque paullo pone coxas posticas sensim paullo dilatatus, lateribus scuti anterius sat fortiter, postice modo levissime et late sinuatis; abdomine non longe pone coxas posticas pertinenti et hic lateribus modo leviter rotundatis posteriora versus sensim citissime angustato, apice postico sub-acuminato. Modice convexus est truncus, inter partes cephalothoracicam et abdominalem scuti sat fortiter impressus; omnes 5 sulci transversi ordinarii scuti fortes sunt, primus fortiter procurvus, reliqui recti; sulcus secundum margines laterales scuti sat fortis quoque est; secundum marginem anticum sulcus transversus tenuis conspicitur. *Pars* scuti *cephalothoracica* areas duas primas partis abdominalis ejus conjunctas non parum longitudine superat: circa dimidio latior est quam longior, areis insequentibus non parum angustior, paullulo angustior antice quam postice, lateribus anterius paullo rotundatis, praeterea rectis et paene parallelis. Margo anticus in utroque angulo dente brevi crasso vel potius granulo forti sub-acuminato est armatus, praeterea granulis paucis munitus. *Tuberculum oculorum* fere in medio partis cephalothoracicae locum tenet: latissimum est, plus $^{1}/_{3}$ latitudinis hujus partis occupans, humillimum (multis partibus latius quam altius), oculos in extremitatibus suis gerens, et supra duobus dentibus longis sive spinis brevibus conicis erectis sat fortibus armatum; spatium, quo inter se distant hae spinae, earum longitudine paene duplo majus est; ab oculis spatiis distant, quae earum longitudinem vix vel non aequant. Inter has spinas tuberculum supra rectum vel potius paullulo concavum est, inter eas et oculos paullo declive. Paullulo pone spinas tuberculi oculorum, magis intus, adsunt granula duo majora, et etiam magis postice granula 4 minora in seriem transversam disposita video. Areae 5 *partis abdominalis* scuti, quarum duae anteriores reliquis paullo longiores sunt, serie transversa granulorum circa 6 sat parvorum munitae sunt, area 2.ª excepta, quae duabus spinis erectis, brevibus, spinis tuberculi oculorum paullo majoribus armata est et praeterea granulo saltem singulo utrinque praedita; spatium inter has spinas paullo majus est

quam spatium inter spinas tuberculi oculorum. Segmenta libera dorsualia saltem tria insequentia ea quoque serie transversa granulorum etiam minorum praedita sunt, et tertium eorum praeterea spina media retro directa est armatum, quae spinis areae 2.ae partis abdominalis scuti paullo brevior est. Margo lateralis scuti supra serie densa granulorum majorum circa 16 munitus est, quae series paullo pone tuberculum oculorum initium capientes usque ad angulos posticos scuti pertinent. *Ventris* segmenta prope marginem posticum seriem granulorum minutorum ostendunt. Segmentum ventrale 1.m magnum est, subtriangulum, lamina genitali magna. *Spiracula* magna et transversa non procul ab apice coxarum 4.i paris locum tenent. Coxae 4.i paris sulco forti a ventre separatae sunt, fulcris carentes; magnae et oblongae sunt, coxis 3.ii paris fere duplo latiores; in latere exteriore lato granulis nonnullis ad partem sat fortibus sunt conspersae. Coxae insequentes, saltem 1.i paris et, ad partem, 2.i paris, granulis sat crassis et densis sparsae sunt.

Mandibulae non ita magnae; art. earum 1.s porrectus et a basi ad apicem sensim paullo incrassatus est, duplo longior quam latior apice, parte femorali palporum non parum brevior, supra laevis, in latere exteriore denticulis minutis 2–3, et subter dente paullo majore praeditus. Art. 2.s sine digito art. 1.o paullo longior et crassior est, paullo plus duplo longior quam latior, granulis nonnullis humilibus non ita parvis sparsus et paullo pilosus. *Palpi* trunco non parum longiores, non multo fortes, attamen pedibus etiam posterioribus non parum robustiores. Pars trochanteralis vix longior est quam latior, subter dente crasso pilifero et supra saltem alio ejusmodi dente praedita. Pars femoralis paene cylindrata est et paullo deorsum curvata, plus triplo longior quam latior, desuper visa; versus apicem lateris interioris spina sat longa et forti armata est, versus apicem subter, magis extus, spinis duabus brevioribus sive dentibus longis, et ipsa basi subter dente parvo crasso sive granulo forti pilifero. Pars patellaris circa duplo longior quam latior apice est, parte femorali ibi parum angustior, in latere interiore paullo foras curvata et,

magis versus apicem, spina sat longa armata. Partes tibialis et tarsalis paullo oblique positae sunt, subter latae et planae, supra modice convexae; pars tibialis parte patellari paene dimidio latior et non parum longior est, parte femorali parum brevior, plus dimidio sed non duplo longior quam latior, lateribus leviter rotundatis anteriora versus paullo angustata; in utroque margine spinis 4 longis magis deorsum directis armata est. Pars tarsalis parte tibiali non parum angustior et praesertim brevior est, paene ovata, in utroque margine spinis tribus longis gracilioribus, et ante eas quarta breviore armata. *Pedes* gracillimi, longi (2.^{i} paris trunco circa 4 $^{1}/_{2}$ longiores), ita: II, IV, III, I longitudine se excipientes. Patellae, praesertim posteriores, non parum incrassatae sunt, tibiae et femora posteriora apice sensim paullulo incrassata. Trochanteres paullo crassius granulosi sunt, praeterea modo granulis minutis raris sparsi sunt pedes (coxis fortiter granulosis exceptis). Metatarsi vestigia articulationum spuriarum ostendunt. Tarsi sericeo-pubescentes, pedes praeterea glabri. Tarsi 1.^{i} et 3.^{ii} parium ex 6, tarsi 2.^{i} paris ex 18, tarsi 3.^{ii} paris ex 7 articulis constant.

Color. — *Truncus* supra nigricans est, spinis et granulis omnibus pallide flavis; pars scuti cephalothoracica colore sordide testaceo vel luteo paullo variata est, et sulci transversi scuti limbusque lateralis partis abdominalis ejus sordide testacei vel lutei quoque sunt. Subter truncus cum coxis ferrugineo- vel sordide testaceus est, saltem limbo postico segmentorum ventralium nigro. *Mandibulae* sub-testaceae, praesertim supra in art. 1.° subtiliter et dense nigro-punctati. *Palpi* sordide testacei, partibus femorali et tibiali apice et basi, partibus trochanterali et patellari apice sat late nigricantibus. Coxae, trochanteres et femora sordide vel ferrugineo-testacea sunt. haec apice, cum patellis, nigra; tibiae et metatarsi plus minus obscure et sordide testacea vel testaceo-nigricantia et paullo pallido-variata sunt, et apice basique nigra. Tarsi, 2.^{i} paris nigricantibus exceptis, sub-testacei et ad partem plus minus evidenter nigro-annulati sunt, pallido-pubescentes.

Lg. trunci 3 $^{3}/_{4}$, lat. ej. 3 millim. Lg. art. 2.^{i} mandib. circa

1 $^{3}/_{4}$; lg. palp. circa 5 millim. Ped. I 10 (fem. paene 2 $^{1}/_{2}$), II 19 $^{1}/_{2}$ (fem. 5 $^{1}/_{4}$), III 12 (fem. paullo plus 3 $^{1}/_{2}$), IV 17 (fem. parum plus 5) millim. longi.

Singulum exemplum hujus formae vidi, ad Hili Zabobo in Nias a Modigliani captum.

Fam. ASSAMIOIDAE.

Gen. **Nothippus** (1), n.

Truncus inverse sub-ovatus, antice minus late truncatus, modice convexus; abdomine sat longe pone coxas 4.i paris prominens. Scutum dorsuale posteriora versus sensim non parum dilatatum, multo longius quam latius, primo et ultimo (5.°) sulcorum transversorum ordinariorum optime expressis, reliquis obsoletis; inerme est, modo plus minus subtiliter granulosum. Pars scuti cephalothoracica circa dimidio latior quam longior est et sulco forti parum procurvo a parte abdominali separata, scuto inter has partes utrinque sinuato. Margo frontalis dentibus 5 porrectis est armata, spina supra carens. Tuberculum oculorum transversum, sat parvum et humile, supra inter oculos non multo convexum, laeve vel granulis parvis paucis sparsum; prope marginem scuti anticum locum tenet, limbo evidenti tamen ab hoc margine separatum. Spiracula sub dentibus fulcientibus, qui ventrem cum apice coxarum 4.i paris conjungit, occulta. Palpi trunco breviores, graciles, extensi decussantes, parte femorali subter dentata, partibus insequentibus duabus subter planis, in marginibus denticulatis, parte tibiali praeterea in margine interiore 2 aculeis, in exteriore margine spina singula armata, parte patellari sub-clavata, parte tarsali compressa, desuper visa angusta, in marginibus dentata et saltem in margine exteriore aculeis binis gracilibus armata; unguis gracillimus. Pedes longiores, ita: II, IV, III, I longitudine se excipientes, graciles, patellis paullo incrassatis, femoribus rectis et apice parum in-

(1) Νόθιππος, nomen propr. person.

crassatis. Art. ultimus tarsorum posteriorum apice truncatus, non evidenter incisus, unguiculis duobus parvis munitus. Tarsi 2.[i] paris ex . . . 18 . . ., reliqui tarsi ex . . . 7 . . . articulis constant.

Typus: *N. limbatus*, n.

Gen. *Pygoplo*, Thor. (1), hoc novum genus valde affine est, scuto dorsuali abdominis modo subtiliter granuloso (sulcis ordinariis transversis, primo et ultimo exceptis, obsoletis), pedibus gracilioribus, articulis tarsorum 2.[i] paris pluribus, unguiculis tarsorum posteriorum minoribus (diametrum apicis tarsi longitudine parum superantibus) internoscendum.

70. **N. limbatus**, n., *supra niger, utrinque luteo-limbatus, hoc limbo in parte cephalothoracica scuti dorsualis latissimo, in reliquo scuto et in segmentis liberis tribus insequentibus satis angusto; parte cephalothoracica praeterea linea longitudinali media sub-lutea notata; scuto dorsuali granulis minutis consperso, tuberculo oculorum granulis paucis parvis praedito, segmentis dorsualibus liberis paullo evidentius et densius granulosis; ventre nigro-limbato, praeterea cum partibus oris et coxis subter pallide ferrugineo; mandibulis luteo-testaceis, supra in parte apicali dense nigro-punctatis; palpis sordide testaceis, parum nigro-maculatis, pedibus ad maximam partem nigricantibus. — Long. trunci circa 4 millim.*

Truncus paullo plus dimidio longior est quam latior, antice, ubi truncatus est et dentibus 5 ordinariis porrectis praeditus, vix dimidio angustior quam ad apicem posticum scuti dorsualis; pars cephalothoracica scuti (quod utrinque modo leviter sinuatum est) fere dimidio latior est quam longior, parte abdominali praerupte humilior sed postice ea modo paullo angustior, in lateribus antice oblique truncata, lateribus praeterea rectis posteriora versus sensim paullulo dilatata; pars abdominalis scuti aeque lata est postice ac longa, lateribus posterius late et levissime sinuatis posteriora versus sensim paullo dilatata. Pars cephalothoracica a parte abdominali postice rotundata sulco forti

(1) Aracn. Artrog. Birmani. *cet.*, loc. cit., p. 714 (198).

paene recto, non vel parum procurvo, separata est; ex sulcis transversis partis abdominalis modo ultimus sat fortis est, reliqui obsoleti. Totum scutum cum segmentis dorsualibus liberis opacum est, spinis, dentibus et granulis majoribus carens, et modo granulis minutis in areis partis abdominalis scuti et in segmentis liberis conspersum, quae granula in segmentis liberis tribus anterioribus paullulo majora et densiora sunt et saltem hic in binos vel ternos ordines transversos plus minus aequales disposita. Segmenta ventralia serie densa duplici granulorum humilium etiam paullo majorum inaequalia sunt, et coxae eae quoque subter granulis densis ejusmodi inaequales; coxae 1.ⁱ paris, ut margo anticus coxarum 2.ⁱ paris, crasse et dense granulosae sunt. *Tuberculum oculorum*, quod circa $^1/_4$ latitudinis partis cephalicae (eodem loco) occupat, paene duplo latius est quam altius, desuper visum fere ovatum, a fronte visum inter oculos fere rectum, vix convexum, lateribus praerupte convexo-declivibus; granulis paucis minutis (ut videtur 2 antice, 2 postice) superius praeditum est, praeterea ut reliqua pars cephalothoracica vix evidenter granulosum. Spatium inter oculos eorum diametro paene 4.plo majus est. Coxae 4.ⁱ paris (a latere inferiore visae) sat longae, coxis 3.ⁱⁱ paris fere duplo latiores, apicem versus sensim angustatae; sulco forti a ventre separatae sunt, et ad apicem earum venter circa tria granula fortia ostendit, quorum unum cum coxa coalitum videtur, fulcrum ita formans. Sub hac parte coxae, inter eam et fulcrum, *spiraculum* vidisse videor.

Mandibulae mediocres. Art. earum 1.ˢ basi angustior est, hac parte basali sub-cylindrata, saltem aeque longa ac lata (desuper visa), laevi; tum vero subito, praesertim supra, incrassata est mandibula, hac parte apicali fortiter elevata paullo majore et desuper visa rotundato-quadrata, supra subtiliter et sat dense granulosa. Art. 2.ˢ sine digito art. 1.º paullo longior est, sub-cylindratus, paene triplo longior quam latior, laevis. *Palpi* graciles, trunco non parum breviores. Pars trochanteralis saltem duplo longior est quam latior, subter dente armata; pars femoralis, levissime deorsum curvata, dentibus duobus minutis versus apicem intus est munita, subter vero serie dentium parvorum; pars patellaris

recta et a basi ad apicem sensim paullo dilatata est, subter plana, parte femorali paullo brevior, in marginibus, praesertim exteriore, paullo denticulata. Pars tibialis parte patellari paene dimidio brevior et apice ejus non parum latior est, subter plana; desuper visa fere duplo et dimidio longior est quam latior, lateribus paene parallelis; in latere interiore aculeis duobus et dentibus saltem 4 (2 inter aculeos, 1 ante et pone eos) armata est, in margine exteriore deflexo prope apicem spina longa, ante eam dentibus 2, pone eam serie dentium 6 munita. Pars tarsalis parte tibiali non parum brevior et angustior est, desuper visa triplo longior quam latior, in margine interiore aculeo gracili singulo, in exteriore margine duobus aculeis ejusmodi, et praeterea in utroque margine denticulis nonnullis gracilibus munita. *Pedes* longi (2.ⁱ paris trunco paene 7.plo longiores); tarsi 2.ⁱ paris ex 18, reliqui tarsi ex 7 articulis constant.

Color. — *Truncus* supra cum granulis suis niger est, lateribus luteis: pars cephalothoracica scuti enim lutea est, fascia media longitudinali latissima et geminata nigra (tuberculo oculorum nigro, et dentibus lateralibus interioribus marginis anterioris saltem ad partem nigris), et pars abdominalis scuti limbo luteo utrinque est ornata, qui antice, ubi in colorem luteum laterum partis cephalothoracicae sensim transit, sat latus est, praeterea vero multo angustior usque ad apicem laterum segmenti liberi 3.ⁱⁱ continuatus. Margo posticus scuti et segmentorum insequentium anguste luteus vel testaceus videtur quoque. *Venter* cum coxis et partibus oris pallide ferrugineus est, pone coxas 4.ⁱ paris vero late nigro-limbatus. *Mandibulae* luteo-testaceae, parte incrassata art. 1.ⁱ densissime nigro-punctata. *Palpi* sordide testacei, parte tibiali macula una alterave nigra in marginibus, in vel ad basin aculeorum longiorum, notata; pars tarsalis apice nigricans est et in et ad margines ea quoque macula una alterave nigra praedita. *Pedes* ad maximam partem nigricantes et maculis parvis sub-testaceis plus minus variati sunt, basi late sub-testacei, femoribus apice cum patellis nigris, apice metatarsorum et tarsis praesertim in pedibus posterioribus testaceis, in pedibus 2.ⁱ paris magis nigricantibus.

Lg. trunci paullo plus 4; lat. ej. 2 1/2 millim. Lg. art. 2.i mandib. circa 1; long. palp. circa 3 1/4 millim. Ped. I 11 1/2 (fem. paullo plus 3 1/2), II paene 28 (fem. 7 1/2), III 15 1/2 (fem. 4 3/4), IV 22 1/2 (fem. paene 7 1/4) millim. longi.

Singulum exemplum in Sumatra (Siboga) invenit Cel. Modigliani.

Subordo **ANEPIGNATHI**.

Fam. STYLOCELLOIDAE.

Gen. **Stylocellus**, Westw., 1874.

71. **S. Sumatranus**, Westw.

Syn.: 1874. *Stylocellus Sumatranus*, Westw., Thesaur. Entom. Oxon., p. 200, Tab. XXXVII, fig. 7.
1882. *Leptopsalis Beccarii*, Thor., Descr. di alcuni Aracn. infer. dell'Arcip. Malese, *in* his Ann., XVIII, p. 25 (9), Tab. IV, fig. 1-9.

Cel. Modigliani exemplum hujus speciei, jam pridem in aliis locis Sumatrae inventae, ad Sibogam cepit. — Persuasum jam mihi habeo, gen. *Leptopsalim* non a *Stylocello* differre, et *L. Beccarii* nostram eandem esse speciem ac *S. Sumatranum*, Westw.

